

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

**Commentarii in materiam de peccatis
(1^a 2^{ae})¹**

Ad q. 81, 82 et 83

TRACTATUS DE ORIGINALI PECCATO

Sectio 1^a

DE VERITATE ET ESSENTIA ORIGINALIS PECCATI

Dubitatur 7

**Utrum carentia doni subiicientis voluntatem Deo
sit formale in originali peccato**

[f.427]

Hic comparantur inter se privationes omnium habituum infusorum et praesertim privatio gratiae et charitatis.

1^a CONCLUSIO: *Privatio originalis iustitiae per quam voluntas subdebatur Deo est formale in originali peccato.*

COLLIGITUR aperte ex Anselmo, De conceptu virginali, c.5, fine², dicente *iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata*, cum tamen saepius alibi dicat originale peccatum esse privationem iustitiae.

Conclusionem docent aperte S. Thomas, 2, d.30, q.1, a.3³, et De malo, q.4, a.4⁴, et hic, q.82, a.3, ubi Caietanus⁵,

¹ Seguimos publicando el ms. 582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1^a 2^{ae} de Santo Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq.71, 72, 73, 74, 76, 88, 89, 75, 77, 78.

² ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.5: PL 158, 439.

³ TOMÁS AQ., *Commentum in 2 librum Sententiarum*, Dist.30, a.3: ed. Vivès, 8, p.404.

⁴ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.4: ed. leon. 23,116.

⁵ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.82, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.98.

Conradus⁶, et reliqui expositores. Idem fere sentit Scotus, 2, d.32, § *Circa istam materiam*⁷; Capraeolus, d.30, q.1, a.1, conclusione 4, et in solutione argumentorum contra illam⁸; Maior, eadem distinctione, q.2 fine⁹; Marsilius, d.19, a.3, in solutione dubiorum circa conclusionem 6¹⁰; Ferrariensis, 4 Contra Gentiles, c.52, § ultimo¹¹; Soto, 1 De natura et gratia, c.9¹²; Ruardus, a.2 contra Lutherum, versus finem paginae 89, in propositionibus de originali peccato, praesertim in propositione 12¹³; Bellarmino, tomo 3, libro 5, de statu peccati, c.17, fine, et c. 19 et 20¹⁴; Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1, in explicanda sententia D. Thomae¹⁵.

Ab hac sententia vix dissident antiqui Doctores, quod attinet ad subiectionem voluntatis ad Deum, nam sive illi qui iustitiam originalem constituunt naturale donum, sive qui constituunt esse donum supernaturale diversum a gratia iustificante, semper eo respicere videntur ut homo per originalem iustitiam reddatur rectus in ordine ad Deum ac proinde subiectus illi, et hac subiectione privetur per originale peccatum, ut videre licet apud Alexandrum, Albertum, Bonaventuram et Ricardum locis citatis in dubio 4¹⁶, quamvis Ricardus magis videatur respexisse ad privationem doni quo vires inferiores oboediunt superioribus

⁶ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.3: Venecia 1589, p.649b.

⁷ B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.30-32, art.3: Quaracchi 1914, 2, p.768s.

⁸ J. CAPREOLUS, *Defensiones theologicae Divi thomae Aquinatis*. l.2, q.30, dist.3, q.1, 4^a conclus.: Turin 1903, t.4, p.331 y 345.

⁹ IOANNES MAIOR, *In Secundum Sententiarum*, dist.30, q.2: Paris 1500, fol.40v.

¹⁰ MARSILIO DE INGUEN, *Quaestiones secundi Sententiarum*, Q.19, a.1, concl.2: Strasburgo 1501, fol.CCCIXv.

¹¹ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. leon. t.15, p.170.

¹² D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1; c.9: Salamanca 1554, f.29.

¹³ RUARDUS TAPPER, art. 2 contra Lutherum: ed.1565, p.89.

¹⁴ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.17; c.19: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.447; 449.

¹⁵ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, punctum unicum: Lyon 1603, col.655s.

¹⁶ *ArchTeolGran*, 63 (2000) 250s.

quam ad privationem doni quo voluntas nostra Deo subiicitur.

Ut conclusionem praecedentem probemus observare oportet subiectionem voluntatis posse comparari cum subiectione appetitus sensitivi et inferiorum virium et posse comparari cum subiectione essentiae animae quae efficitur per gratiam gratum facientem, sed de hac secunda comparatione dicemus postea, nam D. Thomas et reliqui Doctores citati praecipue intendunt privationem iustitiae originalis qua parte voluntatem humanam Deo subiiciebat fuisse formalem rationem originalis peccati; at vero privationem iustitiae originalis qua parte appetitum sensitivum et inferiores vires subiiciebat rationi fuisse partem quasi materialem peccati originalis; atque de hac parte disputabitur infra, dubio 16 et sequentibus; in praesenti autem probare intendimus quod attinet ad rationem formalem.

1^a igitur RATIO D. Thomae, q.82, a.3, est quia id quod est causa et radix totius inordinationis quam affert originale peccatum est formalis ratio originalis peccati; sed tota inordinatio quam affert originale peccatum prove- [f.427v] -nit ut a prima causa et radice a privatione iustitiae ut voluntatem humanam subiiciebat Deo; ergo haec est ratio formalis peccati originalis.

MAIOR PROBATUR quia in unaquaque re forma est radix et origo omnium proprietatum et est causa movens ad omnes actiones illius rei; ergo in originali peccato quod fuerit radix inordinationis et movens ad omnem inordinationem illud erit formalis ratio.

CONFIRMATUR ex D. Thoma, eadem q.82, a.2, quia peccatum se habet respectu animae ut aegritudo respectu corporis; aegritudinis autem ratio formalis sumitur ex primaria radice qua solvitur humorum aequalitas et concordia, ut ex superabundantia callidi vel frigidi vel laesione capitis aut cordis; ergo ratio formalis peccati originalis erit illud quod fuit prima ratio et causa dissolvens totius hominis concentum et harmoniam.

Minorem vero primi sillogismi probat D. Thomas quia voluntas est quae reliquas vires animi et corporis movet in finem. Probatum est 1^a 2^{ae}, q.9, a.1 et 3¹⁷; ergo privatio subiectionis

¹⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.9, a.1 y 3: ed. leon. 6,74 78.

voluntatis est origo totius inordinationis et rebellionis quae affertur in originali peccato.

CONFIRMATUR 1^o, quia origo totius ordinationis quam originalis iustitia afferebat erat ea pars iustitiae quae voluntatem Deo subiiciebat; ergo origo totius inordinationis quae affertur originali peccato erit carentia eiusdem subiectionis. CONSEQUENTIA PROBATUR, tum quia oppositorum oppositae sunt causae, tum etiam quia opposita debent esse circa idem, unde in voluntate debet esse origo ordinationis et inordinationis per affirmationem et negationem iustitiae.

CONFIRMATUR 2^o, ex D. Thoma, De malo, q.4, a.4¹⁸, quia cum ratio peccati consistat in privatione, illud erit formale quod proprie et ratione sui est privatio; privatio autem non est proprie nisi in subiecto quod debet habere formam, hoc autem debitum proprium et morale quale requiritur ad peccatum non reperitur nisi in voluntate; illa enim est cui ut principi et moventi inerat obligatio servandi iustitiam originalem in se et in viribus sibi subiectis; quare negatio originalis iustitiae pertinentis ad voluntatem habet proprie rationem privationis moralis; at vero carentia eius partis iustitiae quae afficiebat inferiores vires et illas subiiciebat rationi non habet rationem privationis nisi in quantum procedit a privatione existente in voluntate.

CONFIRMATUR 3^o, ex D. Thoma, 2, d.30, q.1, a.3¹⁹, quia in peccato deordinatio ab ultimo fine est ratio formalis; haec autem deordinatio formaliter et ratione sui est in voluntate quae sola intendit ultimum finem hominis, at vero in aliis potentiis non potest esse nisi denominatione a voluntate.

CONFIRMARI potest 4^o, quia honestum et turpe proprie est in voluntate formaliter sed in aliis potentiis non nisi denominatione accepta a voluntate, quia appetitus sensitivus et aliae potentiae non percipiunt bonum rationis quod est honestum nec ratione ducuntur; ergo in voluntate debet esse formalis ratio originalis peccati potius quam in aliis potentiis.

¹⁸ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.4: ed. leon. 23,115.

¹⁹ TOMÁS AQ., *Commentum in 2 librum Sententiarum*, Dist.30, a.3: ed. Vivès, 8, p.404.

CONFIRMATUR 5^o, quia cum ad peccatum requiratur libertas cuius unica sedes est voluntas, fit ut tam actuale quam habituale peccatum ad voluntatem referendum sit potius quam ad inferiores vires. Vide quae diximus q.74, a.3, dubio 2, et a.2, dubio 3²⁰.

CONFIRMATUR 6^o, auctoritate Dionysii, c.3 De ecclesiastica hierarchia, longe post medium²¹, ubi mul- [f.428] -tiplici loquendi formula testatur causam passionum et inordinatorum motuum fuisse naturae humanae transgressionem in paradiso apostasiam, recalcitrationem a vivifica lege et a divina et sursum agente vita voluntariam defectionem, quibus omnibus notatur primam et formalissimam rationem originalis peccati esse carentiam debitae subiectionis.

Venio ad comparationem alteram voluntatis cum essentia animae in qua variae difficultates suboriuntur quarum praecipua deducitur ex dubio praecedenti in quo probatum est ad essentiam originalis peccati pertinere privationem gratiae iustificantis; et cum gratia iustificans formaliter sit in essentia animae, fit ut haec privatio sit in essentia animae; iam ergo non pertinebit ad rationem formalem originalis peccati alia privatio existens in voluntate, alioqui peccatum originale erit ens per accidens complexum ex multis privationibus, et partim erit in uno subiecto partim in alio realiter distincto.

Primo, pro huius decissione supponendum est originalem iustitiam non fuisse rem diversam a gratia gratum faciente, quamvis illi adiunxerit aliquos habitus et specialia dona et quamvis nomen originalis iustitiae aliunde acceptum sit quam gratiae nomen, ut in praecedenti dubio ad 1^{um}²².

Identitatem gratiae et originalis iustitiae ex professo docent Soto, 1 De natura et gratia, c.5²³; Molina, 1^a parte de opere sex dierum, disp. 27, conclusione 1²⁴; Zumel, 1 p., q.95, a.1 in

²⁰ ArchTeolGran 59 (1996) pg.195-204, 180-186.

²¹ PSDIONISIO AREOPAGITA, De ecclesiastica hierarchia, c.3: PL 3,439.

²² ArchTeolGran 63 (2000) pg.282.

²³ D. SOTO, OP, De natura et Gratia, libri III, l.1, c.5: Salamanca 1554, f.15.

²⁴ LUIS DE MOLINA, Commentaria in primam Divi Thomae Partem, Tractatus de Opere Sex Dierum, disp.27, concl.1: Cuenca 1592, col.2.60.

dubio annexo ad q.2²⁵; Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1 in sententia D. Thomae ad 1^{am} dubitationem²⁶; idem supponit frequenter Taper in a.2 contra Lutherum in 4^a opinione D. Thomae²⁷, et postea in propositionibus de originali, propositione 12, pag.89²⁸. Diegus de Paiva, *Orthodoxarum explicationum* 1.3, axiome 2, q.2, quid sit originale, fol.90; Bellarmino, tomo 3 *Controversiarum* 1, libro unico, c.3, prope initium²⁹, ubi pro eadem sententia refert Albertum, 2, d.24. Ferrariensis, 4 *Contra Gentiles*, c.52, § *Considerandum*, et § *Sed occurrit*³⁰, favet huic sententiae quamvis ambigue. Et hi omnes Doctores non solum sentiunt hoc esse probabilius sed etiam esse sententiam D. Thomae, 1 p., q.95, a.1 c³¹; et quamvis D. Thomas in *corpore* illius articuli expresse tantum asserat rectitudinem in qua conditus fuit Adamus fuisse a supernaturali dono gratiae, et non explicet utrum a gratia gratum faciente, nihilominus ex solutione 2 et 4 argumenti aperte constat eum loqui de gratia iustorum propria et quae est principium proficiendi per meritum; et 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 ad 2, asserit originalem iustitiam primordialiter pertinere ad essentiam animae; unde nomine iustitiae originalis D. Thomas intelligit gratiam a charitate realiter distinctam inhaerentem substantiae animae immediate et quae sive physice sive moraliter est fons charitatis et aliarum omnium virtutum.

2^o. Ab hac doctrina dissentiunt non solum illi Doctores qui existimant Adamum aliquo tempore caruisse gratia iustificante quamvis tunc fuerit instructus originali iustitia, quos supra, dubio

²⁵ En la edición que hemos podido usar, de 1594, no hay q. 95.

²⁶ GREGORIO DE VALENCIA, S.I. *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, punctum 1 ad 1^{am} dub.: Lyon 1603, col.658.

²⁷ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum venerandae facultatis Sacrae Theologiae Generalia Studii Iovaniensis circa Dogmata Ecclesiastica ab annis triginta et quatuor controversis una cum responsione ad argumenta adversariorum*, art.2, opinio 4^a: Lovaina 1565, p.45.

²⁸ *Ibidem*, p.89.

²⁹ ROBERTO BELLARMINO, S.I. *XIII Controversia Generalis, De gratia generi humano in primo parente collata*, liber unicus, c.3: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.173.

³⁰ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. Leon. t.15, p.167.

³¹ THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, 1, q.95, a.1 c, ad 2, ad 4: ed. Leon. 5,420s.

6 refutavimus, sed etiam Caietanus, 1 p., q.95, a.1³²: existimat enim originalem iustitiam fuisse gratiam gratis datam a gratia iustificante realiter separatam in Eva, [f.428v] quae per proprium peccatum amisit iustificantem gratiam retenta iustitia originali quousque Adamus peccaret, de cuius fundamento dictum est in praecedenti dubio ad 2.

Porro ex illis Doctoribus qui existimant originalem iustitiam nec unico instanti fuisse separatam a gratia, solus Pererius, t.1 in Genesim, 1.5, disputatione de iustitia originali, q.3 et q.1 fine³³, existimat originalem iustitiam fuisse rem a gratia diversam. Quam sententiam ut probabilem tradit Zumel, 1 p., q.95, a.1, post q.2 in dubio 1 annexo³⁴.

Pererii fundamentum duo falsa continet: alterum iustitiam originalem perficere tantum in ordine ad finem naturalem, quod satis impugnatum est in dubio 5; alterum est gratiam iustificantem non perficere in ordine ad finem naturalem, quod falsum esse constabit animadvertenti fidem dictare plurimas veritates tam speculativas quam practicas, quae naturali discursu investigari potuissent; et charitatem praecipere et inclinare ad plurima opera circa Deum vel proximum quae lex naturalis amoris in Deum seclusa gratia praeciperet. Itaque gratia eminenter continet naturalem perfectionem in ordine ad finem supernaturalem.

3°. In opinione Pererii illud est probabiliter dictum in statu innocentiae praeter habitus supernaturales datos fuisse homini omnes habitus virtutum naturalium sive intellectus sive voluntatis aut appetitus sensitivi quia hoc pertinebat ad maximam dignitatem et perfectionem illius status.

4°. Non in his habitibus naturalibus sed *in supernaturalibus constitutam esse rationem iustitiae originalis ac praecipue in gratia iustificante*, inde

PROBATUR quia constat in dubio 5 propter plures effectus

³² THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1., q.95, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.5, p.421.

³³ BENEDICTUS PERERIUS VALENTINUS S.I., *Commentariorum et Disputationum in Genesim tomus primus*, Liber 5, Disputatio de tertia excellentia status innocentiae, id est de iustitia originali, q.3 y q.1: Lyon 1599, p.580s, 575s.

³⁴ En la edición que hemos podido usar, de 1594, no hay q. 95.

supernaturales proprios originalis iustitiae oportere illam esse supernaturalem, unde sic arguitur: vel hoc donum supernaturale constituitur primario in appetitu sensitivo aut in aliis potentiis corporeis; et hoc non, quia ut hae omnes potentiae sunt in homine minus principales et gubernantur per superiores potentias ita illarum potentiarum perfectio est minus principalis et derivatur a perfectione intellectus et voluntatis.

CONFIRMATUR 1^o, quia debitus ordo gratiae non perturbat naturae ordinem qui exigit ut appetitus sensitivus et aliae potentiae corporeae dirigantur ad finem et ad beatitudinem per actus intellectus et voluntatis; ergo ordo supernaturalis innocentiae ita constitutus erat ut omnes potentiae corporeae dirigerentur per supernaturalem virtutem intellectus et voluntatis.

CONFIRMATUR 2^o, quia sublata subiectione voluntatis ad Deum per inoboedientiam, protinus primi parentes amiserunt virtutem continendi appetitum sensitivum et ideo erubuerunt, quod signum est radicem subiectionis appetitus esse subiectionem voluntatis ad Deum.

5^o. Constat igitur ex praecedentibus primariam rationem originalis iustitiae positam esse *in supernaturali dono subiiciente rationem Deo*. Quod autem istud donum sit gratia iustificans, hoc nomine comprehendendo tam eum habitum qui afficit essentiam animae quam charitatem et reliquas virtutes infusas intellectus et voluntatis, PROBATUR quia hi habitus sufficientes sunt ex se ut rationem perfecte Deo subiiciant, et illos fuisse inditos primis parentibus a primo instanti creationis constat ex dubio praecedenti; ergo superfluum erit et sine ratione constituere aliud donum quo ratio subiiceretur Deo in statu innocentiae.

6^o. Inter auctores citatos est dissidium utrum iustitia originalis complectatur formaliter omnes habitus infusos virtutum sive in intellectu et voluntate sive in appetitu sensitivo, ut sensit Molina et fere idem Valentia, locis citatis, vel solum dicat primario et in recto gratiam existente in essentia animae, ut radicem aliorum habituum. — Sed quaestionem existimo esse de nomine et utramque acceptionem originalis iustitiae deduci ex mente sanctorum; secunda tamen acceptio congruentior iis quae dicemus de peccato originali.

His suppositis sit 2^a CONCLUSIO: *originale peccatum includit formaliter et in recto privationem unius tantum habitus, quo voluntas seu ratio subiiciebatur Deo non immediate et formaliter sed radicaliter et mediate.*

PROBATUR 1^o, quia originale peccatum prius est in essentia animae quam in potentiis illius, ita ut fons eadem privationum quae sunt in potentiis sit ea privatio quae est in essentia animae; ergo verisimilius est privationes habituum infusorum existentes in voluntate et in aliis potentiis pertinere ad originale peccatum non in recto sed in obliquo, quatenus illarum omnium radix est privatio existens in essentia animae. ANTECEDENS probandum est ex professo infra, ubi de subiecto originalis; nunc sufficiat illud aperte tradi a D. Thoma, q.83, a.2 c, et ad 2, ea ratione quia iustitia originalis primordialiter erat in essentia animae, a qua in omnes potentias manabant virtutes infusae; ergo eandem proportionem servabit privatio originalis iustitiae in qua sistit originale peccatum.

PROBATUR 2^o, quia in Tridentino, sess. 5, § 4 et 5³⁵ya, definitur per baptismum remitti parvulis id quod veram culpae rationem habet; ergo per infusionem gratiae formaliter destruitur originale peccatum; ergo consistit formaliter et praecipue in privatione gratiae iustificantis.

CONFIRMATUR quia quamvis absolute vera essent verba Tridentini etiam si originale peccatum consisteret in privatione charitatis receptae in voluntate, quoniam habitus charitatis infunditur per baptismum, nihilominus prior et immediatior effectus sacramenti est gratia iustificans recepta in essentia animae; quapropter commodius est ita acipere definitionem Concilii, aliunde sufragante ratione. [f.429v]

Hinc COLLIGUNTUR aliqua quibus praecedens conclusio corroboratur:

PRIMUM est, formaliter et in recto unicum esse habitum gratiae iustificantis qui excluditur per originale peccatum, nam reliquorum habituum privationes afferuntur in obliquo, sicut gratia iustificans in obliquo affert omnes habitus infusos quasi illorum

³⁵ Dz 1514s (791s).

radix sive physice sive moraliter.

SEQUITUR 2^o, opus non esse concedere peccatum originale esse suo modo ens per accidens conflatum ex pluribus privationibus aut esse tot originalia peccata in uno homine quot sunt privationes habituum infusorum, nec originale esse in subiectis realiter distinctis, scilicet essentia et potentiis quantum ad formalem et primariam rationem peccati. — Sed obiter advertendum est, etiam si quis concedat in recto afferri per originale peccatum privationem plurium habituum, non propterea concedenda esse plura originalia in uno homine, quoniam privationes habituum non habent rationem peccati nisi propter rationem debiti et imputabilitatis, quatenus humana natura tenebatur eos habere et non habet; at vero haec ratio debiti et imputabilitatis unica est in unoquoque homine.

3^o SEQUITUR, minus convenientem esse solutionem Valentiae, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1, circa sententiam D. Thomae ad 1^{am} dubitationem³⁶, ubi quamvis concedat primariam rationem originalis peccati esse privationem gratiae existentis in essentia animae, existimat tamen aliorum habituum supernaturalium privationem esse partes, atque ut servet unitatem originalis peccati asserit tam multas privationes non pertinere ad originale peccatum nisi sub unica ratione communi, scilicet in quantum excludunt subiectionem mentis sub Deo, quae subiectio est ratio communis omnibus habitibus; sed convenientius videtur concedere quod sicut omnes habitus infusi non solum quantum ad rationem communem sed etiam quantum ad particulares rationes exiguntur ab originali iustitia et gratia, ita ab originali peccato exiguntur privationes illorum, etiam quantum ad rationes particulares, verumtamen non in recto sed in obliquo: exemplum sit vita animalis quae radix est omnium sensuum tam quoad rationem communem quam quoad rationes particulares illorum, et propterea mors quamvis immediate et formaliter non excludat nisi vitam, nihilominus mediate et quasi in obliquo excludit omnes sensus et omnes rationes particulares illorum.

³⁶ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, sent. D. Thomae, punctum 1 ad 1^{am} dub.: Lyon 1603, col.657s.

4^o COLLIGITUR, quid veri habeat sententia Caietani, q.83, a.3⁷, dicentis in ratione formali originalis peccati primariam rationem esse privationem originalis iustitiae sed privationem subiectionis in voluntate esse secundariam partem eiusdem rationis formalis, in quo vix a nostra sententia dissideret nisi in 2^a parte existimavisset gratiam iustificantem esse rem diversam a iustitia originali.

COLLIGITUR 5^o, magis distare a veritate et sententia D. Thomae Medina, qui q.83, a.1 [f.430] dubio 2, concl.6^a, et ad 5^{um} argumentum sequens, essentiam originalis praecipue et formaliter constitui in privatione subiectionis voluntatis³⁸, qui Doctor, nisi ita intelligatur absurdus aliquid sentiet, de quo in dubio sequenti, difficultate 3^a.

Dubitatur 8

Varias difficultates complectitur circa subiectionem et gratiam, qua privat originale peccatum

1^a DIFFICULTAS est: quoniam privatio gratiae subiicientis rationem Deo, nec formaliter nec eminenter continet omne illud quod ad originalis iustitiae privationem pertinet; ergo in illa non consistit ratio formalis originalis peccati.

ANTECEDENS PROBATUR, quia subiectio perfecta appetitus sensitivi sine rebellionem contra rationem, et subiectio illa inferioris rationis quam nullum veniale poterat committere perseverante iustitia originali, pertinent ad integritatem originalis iustitiae, et tamen illas non continet eminenter habitus gratiae iustificantis, ut constat in Paulo et in aliis iustis; ergo privatio gratiae non continet eminenter quidquid ad originalis iustitiae privationem pertinet. RESPONDEO negando antecedens; et ad eius probationem, negando minorem, nam habitus gratiae eminenter continet varias

³⁷ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.83, a.2: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.102.

³⁸ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1, dub.2, concl.6: Venecia 1602, p.434b,435a.

perfectiones secundum varios status et tempora: sicut enim natura hominis eminenter continet perfectum discursum, quem tamen non assequitur puer recens conceptus aut natus quousque ineunte tempore potentiae sensitivae disponantur ad perfectum discursum, et sicut filiatio, sive naturalis sive adoptiva eminenter continet dominium et administrationem haereditatis, sed non committendam in pueritia sed aetate matura, ita gratiae habitus eminenter continet perfectam subiectionem omnium potentiarum sub ratione sed non conferendam nisi in proprio statu illius qualis erit status beatitudinis et fuit status innocentiae.

Hinc solvitur 2^a DIFFICULTAS: utrum originale peccatum excludat subiectionem rationis quantum ad eam etiam perfectionis partem qua in statu innocentiae excludebat omnia peccata venialia.

Negative RESPONDET Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1 ad explicandam sententiam D. Thomae, dubitatione 2³⁹, cuius rationem necessariam dicit esse quoniam oportet peccatum originale constituere in eiusmodi defectu qui per Christi gratiam penitus auferatur; sed per gratiam non tollitur iste defectus committendi venialia manente gratia; ergo originale non includit hunc defectum. — Atque eodem argumento contendit defectus mortalitatis et rebellionis non pertinere ad originale peccatum.

[f.430v] Sed in hoc dissidet a se ipso et a communi sententia recentium et antiquorum, qui infra, dubio 16, existimant concupiscentiam esse partem materialem peccati originalis, quod verum non fuisset nisi originale peccatum afferret privationem illius doni quo frenabatur concupiscentia.

Igitur ex dictis hucusque et dicendis loco citato, distinguendum est: nam potestas committendi venialia peccata manente gratia, rebellio appetitus et quilibet animae defectus possunt bifariam considerari:

—primo quidem, in se et formaliter, et ut sic non pertinet ad rationem formalem originalis peccati, ut argumentum Valentiae concludit, sed pertinent ad rationem materialem.

—secundo, possunt accipi iidem defectus ut eminenter

³⁹ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, punctum 1 ad 1^{am} dub.: Lyon 1603, col.658s.

continentur in privatione alicuius habitus qui eminenter continebat oppositas perfectiones, et ut sic pertinet ad rationem formalem originalis peccati, atque hoc modo, quia habitus gratiae iustificantis eminenter continet perfectionem excludentem venialia peccata, rebellionem appetitus et mortalitatem (quamvis has perfectiones non contineat ut conferendas in quocumque statu sed tantum in statu innocentiae aut beatitudinis) et quia originale peccatum per se excludit statum innocentiae et originalem iustitiam, ideo absolute et proprie dicendum est originali peccato formaliter excludi subiectionem rationis sub ea etiam parte qua eminenter continet puritatem ab omni veniali, subiectionem appetitus et immortalitatem.

Ad argumentum Valentiae, RESPONDEO distinguendo minorem, nam hi defectus excluduntur per gratiam Christi Domini in quantum habent rationem privationis et culpae, sed manent secundum suum esse materiale, ut in simili dictum est dubio 4 ad 1⁴⁰, et dicitur dubio 16.

3^a DIFFICULTAS est utrum privatio gratiae in quantum gratia est sit essentia originalis peccati vel solum in quantum subiicit mentem Deo. Medina, q.82, a.1, dubit.2, conclusione 6⁴¹, asserit originali peccato importari privationem iustitiae non ut donum quoddam est sed ut mentem Deo subiicit. Quod, si intelligatur de subiectione radicali quae in gratia includitur, contradictionem involvit, quia sicut impossibile est intelligere effectum formale alicuius formae non intellecta forma, ita impossibile est intelligere privationem effectus formalis non intellecta privatione formae; est autem effectus formalis gratiae illa radicalis subiectio, ut in praecedenti dubio explicatum est, in cuius fine vidimus quem sensum probabile habere posit haec propositio Medinae.

Dicendum igitur est: sicut gratia essentialiter habet reddere hominem gratum Deo et dignum amore illumque Deo subiicere, et similiter gratia radix est omnium virtutum, ita etiam originale [f.431] peccatum essentialiter et formaliter excludit has omnes

⁴⁰ ArchTeolGran 63 (2000) 255.

⁴¹ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1, dub.2, concl.6: Venecia 1602, p.434b,435a.

formalitates gratiae et habet reddere hominem inimicum et dignum odio rebellemque et inoboedientem Deo ut radix huius inoboedientiae quasi removens prohibens inoboedientiam. Quae singulae partes magis explicabuntur in dubiis sequentibus. — Et non invenio quae istarum formalitatum prior existimari debeat in originali peccato.

4^a DIFFICULTAS est utrum ad originalis peccati essentiam pertineat privatio subiectionis actualis qua voluntas actu oboediat Deo.

Ex dictis colliguntur propositiones duae:

—1^a: *privatio dictae subiectionis actualis non includitur in recto in essentia originalis peccati*. Colligitur ex Doctoribus citatis pro conclusione 1^a praecedentis dubii, qui omnes videntur loqui de subiectione habituali non de actuali; sed clarius Ferrariensis 4 Contra Gentiles, c. 52, § *Sed occurrit dubium* et sequenti⁴². Valentia, citatus in difficultate 2; Bellarminus, libro 5 De statu peccati, c. 19, § *Restat igitur*⁴³.

RATIONE PROBATUR quoniam ut vidimus in praecedenti dubio plene et integre constituitur essentia originalis peccati in privatione gratiae habitualiter subiicientis cum ordine ad transgressionem naturae in capite.

—2^a propositio est: *ad essentiam originalis peccati pertinet in obliquo privatio duplicis subiectionis actualis quae in diversis voluntatibus esse deberet, id est, originale peccatum essentialiter dicit ordinem ad duplicem privationem subiectionis actualis, quarum altera privatio est quasi causa peccati originalis, scilicet, privatio subiectionis quam deberet habere voluntas capitatis; altera privatio est effectus originalis peccati, scilicet, privatio subiectionis actualis quae deberet esse in singulis quibusque voluntatibus si non peccaret Adamus. Haec privatio sequitur ex privatione gratiae originalis, sicut ex gratia originali sequeretur illa subiectio actualis.*

⁴² FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. leon. t.15, p.167.

⁴³ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.19: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.451.

Utraque propositio constabit magis ex dicendis dubio 12 et 14 de ratione propter quam privatio subiectionis actualis non constituat essentiam peccati habitualis potius quam privatio gratiae aut iustitiae originalis, cum privatio subiectionis actualis sit prima origo malitiae.

Interim RESPONDEO rationem colligi ex dictis, quia habituale peccatum formaliter constituit hominem inimicum Dei, id est odio dignum et carentem amicitia, et ideo consistit in privatione amicitiae propter transgressionem, et haec est ratio ob quam moraliter censeatur durare actum peccati nondum dimisi; quapropter gratia, si non solum quoad esse physicum conferatur sed etiam quoad esse morale constituendi hominem simpliciter gratum et acceptum Deo, necessario remittit peccatum habituale; at vero privatio subiectionis actualis non est ipsa inimicitia Dei et personae indignitas quamvis sit prima origo illius. CONFIRMATUR quia sicut gratia propterea quod hominem reddat simpliciter amicum Dei constituitur immediate in essentia [f.431v] animae et non in voluntate, eadem ratione habitualis inimicitia debet esse in essentia hominis et non in voluntate. Vide infra ubi de subiecto originalis peccati.

Tribus difficultatibus quae sequuntur, Zumel, in q.82, a.3, disp.2, conclusione 3⁴⁴, probare nititur originale peccatum non esse privationem gratiae aut iustitiae.

Sit ergo 5^a DIFFICULTAS quia privatio gratiae est poena peccati; ergo non consistit in ea formaliter originale peccatum. Antecedens traditur a S. Thoma infra, q.85, a.5 c, et q.87, a.7⁴⁵.

6^a DIFFICULTAS est quia Deus auctor est privationis gratiae sed non est auctor peccati; ergo peccatum non est privatio gratiae. Utrumque argumentum fusius persequitur Zumel, cui nihil aliud respondere debemus nisi quo supra, dubio 4, satisfacimus 3^o et 4^o argumento⁴⁶, mutato nomine iustitiae originalis in gratiam iustificantem.

⁴⁴ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.584.

⁴⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, I 2., q.85, a.5 c y q.87, a.7: ed. leon. 6,115 y 129.

⁴⁶ *ArchTeolGran* 63 (2000) 256s.

7^a DIFFICULTAS est quia si Deus nec primo parenti nec posteris eius in ipso, contulisset gratiam, et nihilominus obligasset eum et posteris in ipso, eodem modo quo de facto eos obligavit; tunc peccante primo parente posterius contraherent originale peccatum et tamen non contraherent privationem gratiae, quia illis debita non esset; ergo privatio gratiae non est formalis ratio originalis peccati.

RESPONDEO distinguendo antecedens, nam TRIPLICI MODO potest intercedere pactum illud cum primo parente licet non accepisset habitum gratiae:

PRIMUS, si Deus naturae humanae in Adamo contulisset extrinsecam acceptationem ad gloriam vel ad aliud supernaturale donum postea conferendum vel tribuisset qualemcumque aliam possibilem rationem benevolentiae ultra eam quae datur in puris naturalibus sine ulla qualitate inhaerente in essentia animae, sive aliquae qualitates inhaerent potentiis sive non, et in eo casu peccatum originale consisteret non in privatione habitus inhaerentis gratiae sed in privatione praedictae acceptationis extrinsecae, et in reliquis servaretur eadem proportio quae modo servatur in originali peccato. Quare, in eo casu originale aliqua ex parte differret specie ab eo peccato originali quod modo est, quia sicut illa gratia extrinseca specie differt a gratia inhaerente, ita inimicitia seu ratio odii seu privatio gratiae illi correspondens esset diversae speciei, sed obligatio servandi illam acceptationem foret eiusdem speciei cum ea obligatione quam habuimus servandi gratiam, quoniam utraque provenit ex positivo praecepto et ratione oboedientiae; unde quatenus originale peccatum diceret ordinem ad hanc obligationem esset eiusdem speciei. — Et praeter modum loquendi nihil fere disidere existimo Ocamus in quodlibeto 3, q.10⁴⁷, quem sequitur Almain, 3 Moralium, c.19⁴⁸, dicens in eo casu originale peccatum esse indignitatem ad vitam aeternam prove- [f.432] -nientem ex alterius peccato. Sed de indignitate infra, dubitatione 10.

⁴⁷ GUILLELMI DE OCKHAM, *Quodlibeta septem*, quodl.3, q.10: St. Bonaventure, N.Y., 1980, t.IX, p.240.

⁴⁸ JACOBO ALMAIN, *Moralia*, c.19: Paris 1512, fol.LXXI.

SECUNDUS MODUS est si Deus naturae humanae in Adamo contulisset virtutes omnes ex genere naturales per accidens infundendas omnibus hominibus si Adamus non peccaret; quo in casu peccatum originale consisteret in privatione illius supernaturalis et gratuita acceptationis naturae humanae ad accipiendos modo supranaturali eos habitus quorum singuli naturaliter adquiri sed omnes collective et in ea perfectione et gradu numquam naturaliter acquirentur et multo minus ab instanti conceptionis. Quo modo autem illud peccatum originale differret ab eo originali quod modo traducitur explicandum est servata proportione sicut in praecedenti casu.

TERTIUS MODUS fingi potest quo Deus nihil conferret homini quod non esset naturae humanae debitum eo modo quo illi debentur oculi et aliae potentiae, nec modo aut tempore aut certitudine non debita, sed naturales omnes causae relinquerentur suis viribus, et nihilominus Deus imponeret naturae humanae in Adamo praeceptum, quod si violasset, omnes homines nascerentur inimici Dei. — Hic casus videtur impossibilis quoniam supra, dubio 2, post conclusionem ⁴⁹, inde praesertim ostenditur ab aequitate et misericordia Dei alienum non fuisse pactum initum cum capite nomine totius naturae quoniam ad aliquid sibi non debitum naturam elevabat, quo sublato pactum continet periculum poenae et nullam spem praemii, quod videtur contrarium divino ingenio et aequitati. — Sed dato hoc casu originale peccatum fuisset privatio cuiusdam extrinsecae rationis benevolentiae ob quam servus diligitur a Domino quandiu in eo nec physice nec moraliter invenitur aliqua offensa contra Dominum.

Ex his omnibus colligitur originale peccatum, non solum ut de facto est sed etiam quocumque modo fuisset, afferret formaliter privationem gratiae vel alicuius rei physicae aut moralis quae vice gratiae opponeretur inimicitiae aut odio et formaliter excluderetur per originale peccatum.

8^a DIFFICULTAS: utrum originale peccatum sit habitus dissimilitudinis ingenitus.

⁴⁹ *ArchTeolGran* 63 (2000) 237.

D. Dionysius, c.2 De ecclesiastica hierarchia, versus finem⁵⁰, ceremonias baptismi et earum mysticam significationem exponens, baptizandum dicit nudum et discalceatum sisti ad occidens aspicientem, et manum abrenuntiatione obscurae militiae renuentem conversiones et ingenitum sibi dissimilitudinis habitum tanquam expirantem sive ut alii vertunt exsufflantem. [f.432v] Turrianus in epistula de originali peccato contendit postrema verba esse definitionem originalis peccati, quae ut ab eo explicatur nihil dissidet a nostra sententia in qua originale peccatum est privatio gratiae perfecte subiicientis hominem Deo contracta ex peccato primi parentis. Turriano subscribunt Valentia, tomo 2, disputatione 6, q.12, puncto 1 versus finem⁵¹, et alii recentiores.

Explicatio huius definitionis continetur PROPOSITIONIBUS 4:

1^a est: *gratia, charitas ceteraque virtutes appellantur similitudo Dei*; ut Mt [5,48], scilicet: *estote perfecti sicut Pater vester coelestis*; Levit 19 [2] et 20 [26]: *sancti eritis quoniam ego sanctus sum*; et supra, dubio 5, probatione 6⁵², plerique patres asserunt primum hominem creatum esse ad *imaginem* Domini quantum ad potestatem liberi arbitrii, et *similitudinem* quantum ad gratiam caeterasque virtutes. Sanctus Diadocus in libro De perfectione spirituali ait charitatis similitudinem qui fert similitudinem Dei fert quatenus homo fieri Deo similis potest. Dionysius, cap.1 et 3 De ecclesiastica hierarchia⁵³ et alibi passim, deiformem imitationem similitudinemque Dei appellat gratiam atque virtutes.

Unde colligitur 2^a PROPOSITIO: *habitus dissimilitudinis est carentia gratiae et virtutum propter peccatum contracta, nam peccato maxime a Deo distamus*. Unde Ciryllus Alexandrinus in epistula ad Calosirium contra antropomorphitas cap.5⁵⁴, dixit

⁵⁰ PSDIONYSIUS AREOPAGITA, *De ecclesiastica hierarchia*, c.2: Colonia MDLVII, pag.47v; PG 3,419.

⁵¹ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, punctum 1: Lyon 1603, col.664.

⁵² *ArchTeolGran* 63 (2000) pg.268.

⁵³ PSDIONYSIUS AREOPAGITA, *De ecclesiastica hierarchia*, c.1, c.3: v.c. PG 3,375,430,434.

⁵⁴ CIRILO ALEJANDRINO, *Epistola ad Calosirium*, c.5: PG 76 1086.

imaginis Dei characteres obscuratos fuisse per peccatum nec amplius illustres apparuisse, et Augustinus, 14 De Trinitate, c.8, ait imaginem Dei per peccatum non fuisse deletam sed *obsoletam*⁵⁵. Porro dicitur *habitus*, non quod sit positiva qualitas, ut infra dubio 18, sed quoniam habitualiter permanet.

3^a PROPOSITIO: *peccatum et daemonem, qui ratione peccati inhabitat animam, ex suflationibus baptismi expelli non solum ab adultis sed etiam ab infantibus, ex doctrina Dionysii et aliorum Patrum constat, de quo late Lindan, 4^o Panopliae, cap.9 et 10⁵⁶.*

4^a PROPOSITIO: *habitus dissimilitudinis est definitio habitualis peccati in genere, cuius differentiae sunt altera per propriam voluntatem personae, qua differentia contrahitur ad peccatum personale; altera differentia est ingenitum sive a nativitate sive contractum per communem voluntatem naturae et capitis, et haec differentia constituit originale peccatum. Quod, propterea dicitur habitus dissimilitudinis ingenitus.*

Consonat Augustinus, 6 In Julianum, cap.7⁵⁷, ubi concupiscentia quam dicit esse originale peccatum appellat *vitium ingenitum*, et Retitius episcopus, apud Augustinum, 1^o in Julianum, col.3⁵⁸, *ingenita scelera* appellat originalia peccata.

Non dubito quin haec possit esse definitio originalis peccati si ita intelligantur verba Dionysii; verumtamen probabilius existimo hanc esse definitionem peccati habitualis in communi, abstrahendo ab originali et personali, quoniam illa vox ingenitum apud Dionysium non [f.433] significat aliquid esse a nativitate contractum sed tantum significat esse in anima genitum, nam in capite 3 De ecclesistica hierarchia, paulo post medium, ait sacerdotes a Deo purificari sublata sollicitudine aut solitudine aut desolatione quae ex negligentia generatur, his verbis: segregant

⁵⁵ AGUSTÍN, *De Trinitate libri quindecim*, l.14, c.8: CCL LA p.436; PL 42 1044.

⁵⁶ Guillermo Dámaso von Linden 1525-1588. *Panoplia evangelica sive de verbo evangelico libri V.*

⁵⁷ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.7: Paris 1555, tomo 7, fol.243 E; PL 44 855.

⁵⁸ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.1, col.3: Paris 1555, tomo 7, fol.203B; PL 44 644.

autem ex negligentia *ingenitam* nobis sollicitudinem, vel ut alii legunt solitudinem, et in penultima pagina eiusdem capituli 3 divina, inquit, imitatio quomodo aliter nobis *ingenita* sit nisi memoria renovata etc.⁵⁹

Sed ne videatur D. Dionysius defuisse in re tanti momenti, alia definitio originalis peccati colligitur ex capite 3 citato ubi omnium consensu agitur de originali peccato, scilicet, *originale peccatum est lapsus naturae humanae a divinis bonis seu a divina et sursum agente vita voluntarius casus*⁶⁰, ubi differentia originalis peccati erit quoniam caetera peccata sunt personarum propria hoc autem est peccatum naturae.

Dubitatur 9

Utrum originale peccatum sit aversio a Deo etiam ut a fine naturali

Praemitto inveniri non posse in originali peccato aversionem et conversionem actualem peculiarem singulis hominibus; huiusmodi enim aversio et conversio sola personali voluntate contrahitur. Quapropter non disputamus nisi de habituali conversione aut aversione quae censetur moraliter permanere quamdiu per poenitentiam peccatum non deletur, ut ille qui commisit homicidium quamdiu non redit in gratiam censetur moraliter aversus a Deo et conversus ad bonum vindictae.

Secundo, omnes Doctores citandi in dubio sequenti et plerique alii, sine controversia concedunt habitualement aversionem a Deo in natura humana, ut D. Dionysius capite 3 De ecclesiastica hierarchia, longe post medium⁶¹, dicit naturam humanam in paradyso aversam fuisse a recta via quae est ad vere existentem Deum; et Augustinus, 2 De peccatorum meritis c.34, de parvulo baptizando ita loquitur: *quomodo converti ad Deum postulat qui non est*

⁵⁹ PSDIONYSIUS AREOPAGITA, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PG 3,439; 467.

⁶⁰ PSDIONYSIUS AREOPAGITA, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PG 3,439.

⁶¹ PSDIONYSIUS AREOPAGITA, *De ecclesiastica hierarchia*: Colonia MDLVII, pag.59, PL 3,439-442.

*aversus*⁶², ubi redarguit pelagianos. In modo autem explicandi aversionem non prorsus consentiunt Doctores, quorum varietas colligi poterit ex varietate opinionum circa essentiam originalis peccati, de qua in superioribus dubiis.

Modus explicandi eorum et magis consentiens cum vera sententia circa essentiam originalis asserit aversionem a Deo consistere formaliter in privatione iustitiae originalis quae, ut diximus in dubio 7, erat gratia per quam homo convertebatur ad Deum. Ut autem intelligatur haec carentia gratiae habere propriam rationem aversionis a Deo, debet intelligi cum perfecta ratione privationis, scilicet quatenus cum natura humana ut erat in capite debuisset servare conversionem ad Deum, libere discesit ab illa.

Tertio, illud investigandum restat utrum originale peccatum avertat a Deo non solum ut est finis supranaturalis et ut est amicus per gratiam, sed etiam ut est finis naturalis, ita ut puer nascatur carens debito ordine servi ad dominum quem haberet si in puris naturalibus crearetur. [f.433v]

Affirmativa conclusio colligitur 1^o ex his doctoribus qui supra, dubio 5⁶³, dicunt originalem iustitiam esse naturale donum et ex iis qui dicunt esse donum supernaturale, verum a peccato originali excludi sub ea ratione praecise qua perficiebat naturam. Praeterea inter Doctores qui sentiunt originalem iustitiam esse supernaturale donum et illius privationem esse originale peccatum, sunt qui expresse asserant originale peccatum privare naturali rectitudine, et reddere hominem aversum a Deo non solum ut a fine supranaturali sed etiam ut a fine naturali.

Ita Zumel, q.82, a.3, disp.1, in dubio annexo § *Utrum haec responsio*, et q.83, a.4, in 3^a parte controversiae dum probat 4 propositionem⁶⁴; Valentia, tomo 2, disputatione 6, q.12, puncto 1 ad 3^{am} dubitationem circa sententiam D. Thomae⁶⁵, et in fine

⁶² AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, l.1, c.34: PL 44 146.

⁶³ *ArchTeolGran* 63 (2000) 259.

⁶⁴ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.575b y 618.

⁶⁵ GREGORIO DE VALENCIA, *SI, Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, punctum 1: Lyon 1603, col.659.

q.15⁶⁶; et minus clare Bellarmino, libro 6 De amissione gratiae, c.3, § *Deide falsum*⁶⁷.

Haec CONCLUSIO PROBATUR, 1^o, quia si pueris maneret ille debitus ordo servi ad dominum et illa ratio benevolentiae erga servos non inoboedientes quae esset in puris naturalibus, non essent absolute vera quae Sacra Scriptura pronunciat nasci parvulos filios irae et inimicos Dei.

PROBATUR 2^o, quia iustitia originalis licet primario et directe converteret hominem ad Deum ut ad finem supranaturalem et quasi ad amicum, nihilominus perficiebat etiam hominem in ordine ad Deum ut ad finem naturalem et dominum. Haec enim perfectio eminenter continebatur in alia, ut dictum est dubio 7, praesertim notabile 2, et in dubio 5, conclusione 2, probatione ultima⁶⁸; ergo originale peccatum, eo ipso quod excludat conversionem ad Deum ut ad finem supranaturalem excludit etiam conversionem ad Deum ut ad finem naturalem.

RESPONDEBIS forte concedendo originali peccato auferri eam tantum conversionem ad finem naturalem quam afferebat iustitia originalis; nihilominus eam conversionem manere quae existeret in puris naturalibus, quoniam haec non includebatur in iustitia originali. Verumtamen praecedens argumentum probat utramque conversionem destrui per originale peccatum quia quamvis illa naturalis conversio quae est in puris naturalibus possit manere sublata conversione supranaturali si Deus sine nostro demerito gratiam auferat vel nolit illam concedere, verum- [f.434] —tamen quando nostra culpa amittimus gratiam, eo ipso amittimus conversionem ad finem naturalem.

Hoc autem PROBATUR 1^o, quia amor debitus finis naturalis, exigit ut servetur perfectio disponens hominem in ordine ad finem naturalem, sive ea perfectio disponat in ordine ad finem naturalem tantum, sive disponat simul in ordine ad finem supranaturalem.

⁶⁶ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.15, fine: Lyon 1603, col.680.

⁶⁷ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber VI, c.3: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.463.

⁶⁸ *ArchTeolGran* 63 (2000) 271.

Sed natura humana per originale peccatum culpabiliter amisit eam ordinationem ad finem naturalem quae eminenter continebatur in gratia; ergo defecit ab amore debito naturali fini ac proinde aversa est a fine naturali.

PROBATUR 2^o, quia servus ex vi reverentiae quam debet domino tenetur non violare amicitiam et adoptionem, si ad illa elevetur a domino, quam, si servus contemnat et violet indignus erit non solum amore patris erga filium sed etiam amore domini erga servum non inoboedientem.

PROBATUR 3^o, quoniam peccata personalia quibus directe avertimur a supernaturali fine, eo ipso sunt contra naturalem finem et contra naturalem rationem, ut explicatum est in q.71, a.2, dubio 1 ad 4⁶⁹. Vide D. Thoma 2^a 2^{ae}, q.10, a.1 ad 1⁷⁰; ergo, servata proportione idem dicendum erit in originali peccato. CONFIRMATUR quoniam peccatum habituale Adami avertebat non solum a fine supranaturali sed etiam a fine naturali.

PROBATUR 4^o, quia si cum originali peccato maneret ea conversio ad naturalem finem quae datur in puris naturalibus, parvulus non esset dicendus simpliciter aversus a naturali fine, quoniam aversio negat omnem conversionem ad eum finem sicut mors et tenebrae negant omnem vitam et omnem lucem.

5^o PROBATUR: quoniam ex hac conclusione redditur solidior ratio sententiae longe probabilioris circa poenam puerorum decedentium sine baptismo, qui non solum beatitudine supranaturali sed etiam beatitudine naturali in aeternum carere debent; quod si retinerent conversionem ad finem naturalem quam haberet homo in puris naturalibus non essent puniendi ea poena et magis congrueret divinae misericordiae eum ad finem naturalem perducere. De hac poena originalis dicemus in sectione ultima. Vide interim Bellarmino, et Zumel, et Valentia, disp.6, q.17, puncto 4, § *Ex quo refellitur*⁷¹. [f.434v]

⁶⁹ *ArchTeolGran*, 49 (1986) 264-295.

⁷⁰ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2 2., q.10, a.1 ad 1: ed. leon. 8 78.

⁷¹ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.17, punctum 1: Lyon 1603, col.691s.

Ut conclusio explicetur magis OBIICIO 1^o, quia *nihil eorum quae essent in puris naturalibus amittitur per originale peccatum*, ut supra dubio 1⁷²; sed conversio ad naturalem finem esset in homine si crearetur in puris naturalibus; ergo non amittitur per originale peccatum. RESPONDEO distinguendo maiorem: nam quamvis nihil reale et physicum amittatur, aliquid tamen morale amittitur, id est, illa extrinseca denominatio qua homo ratione suae naturae dignus esset qui a Deo amaretur ut servus a domino quamdiu non est contumax, quae denominatio per inoboedientiam naturae in primo parente amittitur manetque homo dignus odio. Nota igitur in privatione gratiae quae est de essentia originalis, includi eminenter privationem huius moralis conversionem ad finem naturalem et praeterea privationem virtutum naturalium quas verisimile est Adamum accepisse pro tota posteritate, per quas etiam converteretur ad Deum ut finem naturalem. Vide dubio 7, n^o 3.

OBIICIES 2^o: haec conversio ad finem naturalem erat quasi naturalis homini; ergo videtur contra aequitatem esse pactum de illa amittenda propter peccatum primi parentis. RESPONDEO: si pactum esset de illa solum conversione ad finem naturalem retinenda vel amittenda forte esset minus dignum divina liberalitate, ut diximus sub finem dubii 8, difficultate 7; sed non est indignum pactum elevans naturam humanam ad gratiam quamvis ex gratiae amissione consequatur amissio naturalis conversionis, quia maioris boni spem affert et minoris mali.

Dubitatur 10

Utrum originale peccatum sit conversio ad creaturam

Alexander, 2 p., q.122, memb.2, a.3⁷³, ait nec actualem nec habituaalem conversionem esse in originali peccato; sed eius argumentum ostendit habituaalem conversionem appellari ab eo

⁷² *ArchTeolGran* 63 (2000) 259.

⁷³ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, art.3: Venecia 1575, fol.270v.

realem habitum inordinate inclinantem ad creaturas, quem non relinqui ex originali peccato probabimus infra, dubio 18.

Sit ergo 1^a CONCLUSIO: *originale peccatum continet conversionem ad creaturam quae est inordinata concupiscentia, et illa se habet ut materiale respectu aversionis quae est privatio iustitiae.*

Ita D.Thomas, De malo, q.4, a.2 corpore, fine⁷⁴; D. Bonaventura, 2, d.30, a.2, q.1⁷⁵, ubi Capraeolus, q. unica, a.3 ad 1 contra 3^{am} conclusionem⁷⁶; Driedo, De gratia et libero arbitrio, libro 1, tract.3, cap.1, p.9 prope finem⁷⁷, quod copiosius explicat Ruardus in a.2 contra Luterum, praesertim § *Ex his videmus*, pag.51⁷⁸ [f.435] et pag.88, propositione 9 de originali⁷⁹. Idem sub aliis verbis docuit Ambrosius in Genesim apud Gulielmum Parisiensem, tomo 1, tract. de vitiis et peccatis, c.6, col.2, dicens *Homo male recedens a Deo cecidit in seipsum*, id est, in sui amorem inordinatum qui est concupiscentia⁸⁰. Tribuitur haec sententia iis doctoribus qui infra, dubio 16 dicunt concupiscentiam esse materiale partem originalis peccati.

Haec conclusio explicatione magis quam probatione indiget, sed utriusque oportunus locus erit dubio 16 et 18.

Duo tamen notare oportet:

1^{um} est in peccatis personalibus conversionem esse causam aversionis: propterea enim fur avertitur a Deo quia pecuniam amat; e contra vero in originali, illa conversio quae est inordinata concupiscentia effectus est aversionis, scilicet negationis iustitiae

⁷⁴ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 c: ed. leon. 23,111b.

⁷⁵ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.30, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.722.

⁷⁶ J. CAPREOLUS, *Defensiones theologicae Divi thomae Aquinatis*. l.2, dist.30, q.3, ad arg.1 contra 3^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.343.

⁷⁷ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, Tract.3, c.1, parte 9: Lovaina 1566, fol.119.

⁷⁸ RUARDUS TAPPER, art.2 contra Luterum: ed.1565, p.49.

⁷⁹ *Ibidem*, p.88.

⁸⁰ GULIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARISIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.6: Ambiani 1674, p.273 a.

et posterior illa, ut notat Ruardus, a.2, propositione 9⁸¹, atque eodem spectat doctrina Soti in 1^o De natura et gratia, c.9, col.2, fine⁸².

2^{um}, quod inde sequitur, concupiscentia non ita proprie habet rationem conversionis ad creaturam ut ea conversio quae est in peccatis personalibus, quin potius eadem conversio concupiscentiae, quod attinet ad realem propensionem, esset in homine creato in puris naturalibus cui solum deficeret debitum habendi iustitiam.

DIFFICULTAS tamen est utrum praeter dictam conversionem potentialem reperitur in originali peccato aliqua conversio ad creaturam quasi imputabiliter permaneat aliquis inordinatus amor creaturae supra Deum, ad eum modum quo in fure etiam transacto actu furandi imputabiliter permanet conversio ad pecunias inordinate amatas.

—1^a SENTENTIA NEGAT, quam aliis verbis docet Albertus, 2^a parte, tract.107, mem.4, a.2, particula 2⁸³, et Alexander, 2 p., q.122, mem.3, a.3⁸⁴, ubi ex professo probant Adami peccatum sub ratione superbiae, inordinati amoris in uxorem, et gullae fuisse peccatum personale tantum, et praecise sub ratione inoboedientiae fuisse peccatum totius naturae a quo manaverit originale peccatum. Eandem sententiam tenere videntur omnes Doctores citati in praecedenti conclusione quoniam assignantes conversionem originalis peccati nullam aliam memorant nisi concupiscentiam, et praecipue videtur esse huius sententiae Medina, q.82, a.1, fine⁸⁵, qui magis ex professo refellit conversionem. Sed eius argumenta praetermitto quia nihil amplius probant quam quod notavimus sub finem conclusionis 1^{ae}.

⁸¹ RUARDUS TAPPER, art.2 contra Lutherum: ed.1565, p.88.

⁸² D. SOTO, OP, *De natura et gratia libri tres*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.30s.

⁸³ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologiae*, 2, tract.17, q.107, a.2, partic.2: Paris 1895, t.33, p.295.

⁸⁴ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.3, art.3: Venecia 1575, fol.271v.

⁸⁵ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1: Venecia 1602, p.435b.

Haec sententia PROBARI POTEST 1^o, quia non quidquid Adamus voluit parvulis imputabile est, sed illud tantum quod Adamus voluit in quantum caput humanae naturae; sed ut sic tantum voluit aversionem et privationem iustitiae originalis; [f.435v] ergo illa conversio ratione cuius Adamus inordinate amavit creaturas non imputatur parvulis nec pertinet ad originale peccatum. Minor probatur quoniam ad caput naturae humanae in quantum tale solum spectabat servare iustitiam originalem pro sua posteritate et quamvis teneretur abstinere ab inordinato amore excellentiae uxoris et pomi et cuiusque creaturae, caeterum ad hoc non tenebatur nisi ut persona particularis; ergo imputabilitas quae ex hac obligatione resultat non pertinet ad caput in quantum caput; ergo ita haesit in persona Adami ut ad eius filios minime pervaserit. CONFIRMATUR quia, quanvis Adamus ut caput naturae teneretur abstinere ab omni mortali ut ea ratione sibi et posteris servaret originalem iustitiam, nihilominus ad ordinate amandas creaturas non tenebatur in quantum caput nisi per accidens, quatenus ex inordinato amore sequebatur amissio gratiae.

PROBATUR 2^o, quoniam originale peccatum specie et numero est unicum in unico homine et non foret gravius nec diversae speciei quamvis primum peccatum Adami fuisset periurium vel blasphemia, quod consonum est communi sententiae Doctorum, infra, sec.3, dubio 1 et 2 et sec.4, dubio 1; ad hoc autem opus est Adamum ad nos minime transfundere speciales rationes peccatorum praeter voluntariam amissionem originalis iustitiae. CONFIRMATUR quoniam haec videtur fuisse praecipua ratio ob quam originale peccatum ubique appelletur a Paulo generalibus vocibus peccati, inoboedientiae, culpa et similibus, ut observant Albertus et Alexander citati. Eodem modo loquuntur Concilia, praesertim Tridentinum, sess.5⁸⁶, et Chrysostomus, Hieronimus, Irenaeus et Olympus apud Augustinum, libro 1 Contra Iulianum⁸⁷; Augustinus autem et Anselmus passim. Huius modi lo-

⁸⁶ Dz-Sch 1512 (789).

⁸⁷ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.1, col.3: Paris 1555, tomo 7, fol.202M, 203ABCD; PL 44 644s.

quendi aliam rationem reddit Vega, lib.2 in Tridentinum, c.6⁸⁸.

PROBATUR 3^o, quoniam ut poena damni respondet aversioni, ita poena sensus respondet conversioni; sed parvuli decedentes sine baptismo non puniuntur poena sensus sed tantum poena damni; ergo culpa originalis aversionem tantum et non conversionem continet.

—2^a SENTENTIA, quam mordicus defendit Zumel, q.82, a.3, post disputationem 1^{am} in dubio annexo⁸⁹ ABSOLUTE AFFIRMAT in originali esse conversionem habitualement ad creaturam tanquam ad ultimum finem Deo antepositum eo modo quò reperitur conversio in peccato habituali personali: eius argumenta ad tria reducuntur:

1^{um} est quia originale peccatum in parvulis eiusdem speciei est cum peccato habituali Adami; sed in peccato habituali Adami non solum fuit aversio a Deo sed etiam conversio ad creaturam ut ad finem; ergo in peccato originali erit eadem conversio. CONFIRMATUR 1^o quia actuale peccatum Adami idem ipsum fuit actuale peccatum nostrum, ut dicitur infra, dubio 15; sed [f.436] actuale peccatum Adami continebat conversionem ad creaturam; ergo nos in Adamo inordinate amavimus creaturam; ergo inde contraximus reatum conversionis et habituale peccatum, quod non est aliud quam imputabilitas praecedentis actus habitualiter permanens. CONFIRMATUR 2^o, quia sancti non solum dicunt nos peccavisse in Adamo sed etiam nos comedisse de ligno vetito Adamo comedente; ita D. Basilius, oratione 1 de ieiunio⁹⁰; Gregorius Naziancenus in oratione de natali Domini⁹¹.

2^{um} ARGUMENTUM est quia parvulus per originale peccatum est aversus a Deo non solum ut a fine supernaturali sed etiam ut a fine naturali, ut in praecedenti dubio probatum est; ergo est conversus ad creaturam ut ad ultimum finem. PROBATUR CONSEQUENTIA, quia necessarium est homines in esse moris et proprio modo creaturae rationalis habere aliquem ultimum finem sive Deum sive creaturam. CONFIRMATUR quia non datur recessus

⁸⁸ VEGA, ANDRÉS, *De iustificatione doctrina universa*, l.2, c.6: Colonia 1572, p.19.

⁸⁹ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.574.

⁹⁰ BASILIO MAGNO, *De jejunio homilia I*: PG 31 167.

⁹¹ GREGORIO NAZIANCENO, *In Theophania sive Natalitia Salvatoris*: PG 36 315.

a termino a quo sine accessu ad terminum ad quem, et propterea non potest dari habitus permanens ratione recessus actualis nisi detur etiam habitus permanens ratione accessus; ergo qui per originale peccatum recedit habitualiter a Deo accedit ad aliquod impossibile Deo.

ARGUITUR 3^o quia omne peccatum praesertim commissionis habet positivam conversionem ad creaturam; sed originale peccatum est habituale peccatum commissionis; ergo.

Ab hac sententia in re vix dissident Soto, 1 De natura et gratia, c.8, fine⁹², et Bellarmino, 1.5 De amissione gratiae et statu peccati, c.19, § *Altera sententia*⁹³, ubi vult ad originalis peccati essentiam pertinere non solum transgressionem praecepti servandi iustitiam sed etiam praecepti prohibentis fructum ligni scientiae, et praeter modum loquendi sanctorum quem attulimus in 1^o argumento, Bellarmino probat duplici ratione: 1^a quia Adamus non habuit praeceptum singulare de servando dono iustitiae nec opus fuit hoc praecepto cum contineretur in aliis praeceptis; ergo non potuit in Adamo nec in illius posteris dari transgressio praecepti servandi iustitiam quae separata esset a transgressione alterius cuiusque praecepti. CONFIRMATUR quia nobis non imponuntur duo praecepta, alterum abstinentiae, alterum servandi iustitiam seu gratiam, et propterea si violamus ieiunium non committimus duo peccata. 2^a quia Adamus non elegit libera voluntate amittere iustitiam sed comedere de fructu vetito; ergo inoboedientia comedendi transmittenda fuit ad posteros potius quam inoboedientia amittendi iustitiam.

Sit tamen 2^a CONCLUSIO: *in originali peccato non est conversio ad aliquam creaturam formaliter, expraesae et in particulari eo modo quo reperitur in peccato habituali personali.*

Hanc conclusionem PROBANT argumenta 1^{ae} sententiae.

⁹² D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III, l.1, c.8*: Salamanca 1554, f.28v.

⁹³ ROBERTO BELLARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati, liber V, c.19*: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.449.

3^a CONCLUSIO: *aliquo modo et quasi interpretaetive est in originali peccato conversio ad creaturam quatenus aversio a Deo, ratione contemptus et inoboedientiae virtualiter continet seipsum Deo praeferri, volendo seipsum nulli superiori esse subiectum, quoniam de parvulis interpretaetari possumus illud quod formaliter et expresse in Adamo fuit, et Augustinus, 3 De libero arbitrio explicuit his verbis: unde autem haec aversio nisi dum ille cui bonum est Deus, ipse vult esse bonum sui, sicut sibi est Deus*⁹⁴.

Et notandum est —1^o, ideo conversionem parvulorum non constitui in ordine ad propriam excellentiam, uxoris delicias, cibum vetitum nec in ordine ad aliam creaturam in particulari sed tantum conversionem ad eiusdem hominis voluntatem seu ad seipsum, quia hoc tantum interpretaetatur secundum rectam rationem, sicut in commissione illa quae praeceptum violat sine ullo actu et sine ullo fine particulari interpretaetive volito sed ex mero contemptu praecepti non possumus interpretaetari aliam conversionem [f.436v] nisi ad ipsum peccantem volendo se esse non subiectum Deo, ut dictum est q.72, a.6, dubio 3 ad 2⁹⁵. Sic quia quod Adamo fuit amoris sibi aut uxoris aut cuiusque creaturae non pertinebat ad caput sed tantum ad personam ideo in originali peccato non manet alia conversio quam quae includitur virtualiter in contemptu et in inoboedientia circa servandam iustitiam originalem.

—Hinc sequitur originale peccatum quantum ad hoc esse per modum habitualis omissionis quamvis sit etiam per modum habitualis commissionis quatenus positivo actu volita est privatio iustitiae originalis.

—3^o, Medina, q.82, a.1, fine, ait per originale peccatum hominem et eius potentias non magis conversas esse ad creaturas quam forent in puris naturalibus⁹⁶. Hanc sententiam dicit non esse tutam Zumel, q.82, a.3, disp.1 in dubio annexo, fine, et disp.2, post conclusionem 6⁹⁷. Sed excedit, tum quia potest

⁹⁴ AUGUSTINUS, 3 De libero arbitrio, c.24: CCL 29 250; PL 32, 1307.

⁹⁵ ArchTeolGran, 56 (1993) 236.

⁹⁶ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1: Venecia 1602, p.435b.

⁹⁷ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.577s y 590.

intelligi Medina de conversione reali, tum etiam quia loquendo de morali conversione opinio contraria Zumelis non est certa sed ex parte falsa et ex parte tantum probabilis, ut ex praecedentibus.

Ad argumenta 1^{ae} sententiae RESPONDEO tantum probare conclusionem nostram 2^{am} et nihil probare contra 3^{am}.

Quapropter, ad 1^{um} cum confirmatione RESPONDEO, Adamum in quantum caput humanae naturae, eo ipso quod tenebatur non amittere iustitiam originalem tenebatur etiam non habere eum inordinatum amorem naturae humanae qui virtualiter continetur in contemptu et amissione iustitiae originalis quasi natura humana sibi esset sufficiens bonum amisso Deo, ut supra explicatum est.

Ad 2 RESPONDEO: haec conversio quae interpretative existit in peccato originali includitur in ratione communi inoboedientiae, et nihil mutat illius speciem si proficiscatur ex actibus capitis quae, ut sunt peccata personalia specie differunt.

Ad 3, infra, q.87, a.4, constabit illam doctrinam intelligendam esse secundum accommodationem. Nam in re: primaria ratio poenae damni et sensus est aversio personalis et nulla est ratio poenae sensus sed tantum poenae damni ubi non est aversio personalis sed tantum originalis.

Ad argumenta 2^{ae} sententiae RESPONDEO, probare tantum conclusionem 3^{am}.

Sed quoniam ab auctore illius adducuntur etiam contra 2^{am} conclusionem, RESPONDEO ad 1^{um} negando antecedens; imo peccatum habituale Adami et originale parvulorum specie differunt: in dubio sequenti.

Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO actuale peccatum Adami fuit actuale peccatum totius naturae humanae, non secundum omnem rationem quam habuit, sed tantum secundum eam qua pugnabat cum obligatione capitis, cum qua quia non pugnabat nisi quantum ad amissionem gratiae, ideo quantum ad reliquas formalitates non erat actus totius naturae.

Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO locutiones illae ita intelligendae sunt [f.437] ut quantum ad illud quod habuit comestio inoboedientiae et amissionis gratiae fuerit intrinseca, non autem quantum ad amorem inordinatum cibi.

Ad 2^{um} ARGUMENTUM et illius confirmationem, RESPONDEO:

distinguendum est consequens concedendo conversionem interpretativam hominis ad se et negando conversionem expressam et formalem ad cibum vel ad aliam creaturam in particulari.

Ad 3^{um} RESPONDEO: originale peccatum nec omnino est simile peccato commissionis nec peccato omissionis, ut constat ex notabile 1^o.

Ad argumenta Bellarmini RESPONDEO ad 1^{um} negando antecedens, quoniam Adamus non tenebatur servare iustitiam solum ratione suae personae, sed etiam ratione totius posteritatis; ut enim imperatur qui certo sciret sua ex morte imminere extremum excidium reipublicae si se veneno interimeret, peccaret contra duo praecepta, alterum omnibus hominibus commune commune, scilicet servandi vitam, alterum peculiare sibi, scilicet prospiciendi reipublicae ex munere imperatoris, ita Adamus etc. De hoc copiose et eleganter scribit Andradius, libro 3 Orthodoxarum explicationum, axiome 2, q.2, a pag.90.

RESPONDEO 2^o: etiam si esset idem praeceptum servandi gratiam et abstinendi a ligno vetito adhuc Adamus transmisisset ad posteros illam unam formalitatem peccati qua ut caput amisit iustitiam.

Ad 2 RESPONDEO distinguendo antecedens, nam licet Adamus directe et per se non elegerit et voluerit amissionem iustitiae voluit tamen et elegit illam indirecte et quasi de materiali eo modo quo saepe dictum est volitam esse malitiam peccati quamvis non sit intenta ut finis et ut motivum.

Dubitatur 11

Utrum originale peccatum sit habituale peccatum Adami ad nos origine transfusum.

Ubi an specie differant

Peccatum originale esse habituale peccatum Adami existimant Taper, a.2 contra Lutherum a § *Et quia ut diximus* et § *Ex his videmus*, pag. 47 et 51⁹⁸, et pag.87 et 88, propositione 7 et 8 et

⁹⁸ Ruardus Tapper, art. 2 contra Lutherum: a.1565, p.47 y 49.

99; Soto, 1 De natura et gratia, c.9 initio¹⁰⁰; Medina, q.82, a.1, dub.2, concl.2 et 3¹⁰¹; Corduba, 1^o Quaestionum, q.10, opinio 6, § Igitur; Zumel, 1 2, q.82, a.3, post disputationem 1^{am} in dubio annexo, et disp.2, concl.6¹⁰².

Pro cuius explicatione notandum est 1^o hanc sententiam differre a sententia Catherini et Piggii quia non peccatum actuale Adami unum numero dicit esse originale nostrum sed peccatum habituale quod in singulis hominibus est multum numero sed est unum cum peccato Adami similitudine et origine, quae doctrina absolute vera est et nihil dissidens ab essentia originalis peccati explicata in superioribus dubiis, nam sicut in Adamo peccatum habituale personale fuit privatio iustitiae et gratiae subiicientis rationem Deo contracta per inoboedientiam, ita et in omnibus posteris originale peccatum est privatio iustitiae et gratiae subiicientis rationem Deo per inoboedientiam Adami contracta, et sicut peccatum Adami includebat habitualement difformitatem ad legem Dei, ita et originale. Hoc intendunt Ruardus, Soto et Medina citati. — Alii autem existimant originale peccatum in parvulis esse eiusdem speciei cum peccato habituali Adami; ita Zumel citatus, quod magis explicat in corollario 1, et Conradus, q.82, a.2, notabile 2¹⁰³ (quamvis oppositum asserat loco infra citando); idem videtur sentire Caietanus, q.83, a.2¹⁰⁴, dum ait originale peccatum fuisse in Adamo prius et deteriori modo inductum.

[f.437v]

Caietani fundamentum est quoniam modus quo fit originale peccatum non est de essentia illius, sicut ipsum fieri quia peccatum originale non consistit in fieri sicut actus peccati sed in facto esse sicut habituale peccatum.

⁹⁹ *Ibidem*, p.88s.

¹⁰⁰ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.29.

¹⁰¹ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1, dub.2, concl.2 y 3: Venecia 1602, p.435b.

¹⁰² FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.574 y 590.

¹⁰³ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.2, nota 2^o: Venecia 1589, p.648a.

¹⁰⁴ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, l.2., q.83, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.101.

Cum argumenta partim soluta sunt in praecedenti dubio et quae restant reducuntur ad haec:

1^{um}, quia in Tridentino, sess.5, § 3¹⁰⁵, dicitur originale peccatum esse unum origine. CONFIRMATUR quia nisi esset eiusdem speciei habituale peccatum Adami et nostrum Adamus transmisisset ad filios non suum sed aliud peccatum diversae rationis;

2^{um} argumentum est quia quibus actuale peccatum est eiusdem speciei eisdem habituale peccatum est eiusdem speciei; sed omnes peccavimus actuali peccato non solum eiusdem speciei sed etiam eodem modo quo Adamus peccavit, infra dubio 15; ergo omnes contrahimus peccatum habituale eiusdem speciei cum peccato habituali Adami.

3^{um} quia peccatum habituale Adami essentialiter includebat habitualemente transgressionem divinae legis et aversionem a Deo et propterea habitualemente conversionem ad creaturam; sed haec ipsa includit originale peccatum; ergo est eiusdem speciei. Minorem probat nam de essentia cuiusque peccati est oppositio contra legem Dei et aversio a Deo; rursus in originali peccato esse conversionem ad creaturam eandem quae fuit in peccato Adami, PROBATUR omnibus argumentis quae soluta sunt in praecedenti dubio.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *originale peccatum non est eiusdem speciei cum habituali peccato Adami.*

Ita D. Bernardus, De gratia et libero arbitrio, col.2, fine¹⁰⁶, postquam explicuit libertatem et imputabilitatem quae requiritur ad personale peccatum subiungit *excepto originali peccato quod aliam constat habere rationem.* Idem colligitur efficaciter ex Innocentio III, capite *Maiores de baptismo*, § *Verum quidam*¹⁰⁷, et ex Anselmo, De conceptu virginali, cap. 21¹⁰⁸, ubi ait dissimilem esse culpam et rationem punitionis in parvulis et in

¹⁰⁵ Dz-Sch 1513 (790).

¹⁰⁶ BERNARDO, *De gratia et libero arbitrio*: Roma 1966, t.3, p.169.

¹⁰⁷ c.3, X, *Maiores ecclesiae*, III, 42: FRIEDBERG II, 645.

¹⁰⁸ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.21: PL 158, 453.

primo parente, atque ita intelligi posse illud ad Romanos 5, *in eos qui non peccaverunt in similitudinem prevaricationis Adae*, id est, in parvulis qui, licet in Adamo peccaverint sed dissimiliter quam ille, et non tanta gravitate, quae verba Pauli eodem modo intelligere videtur Hieronymus, libro 3 *Adversus pelagianos*, prope finem¹⁰⁹; D. Thomas, *De malo*, q.4, a.2 ad 4, prope finem ait peccatum originale non eadem ratione dicitur peccatum, qua et actuale¹¹⁰; D. Bonaventura, 2, d.42, a.3, q.1 prope finem¹¹¹, defendit divisionem peccati in originale et actuale fieri per differentias formales et specificas. Imo rationem peccati aequivoce seu analogice convenire peccato originali et peccato personali probat ex professo Ricardus, 2, d.32, a.3, q.2¹¹²; docet Capraeolus, 2, d.30, q.unica, a.3 ad 1^{um} argumentum contra 2^{am} conclusionem¹¹³; Conradus, q.81, a.1 c¹¹⁴. Et quidem talem aequivocationem quae veram et propriam culpae rationem excludat ab originali negare debent omnes catholici; de alia autem aequivocatione vel analogia parum refert ad theologum dummodo admittatur diversa ratio specifica utriusque peccati quam praeterea testatur Valentia, tomo 2, disputatione 6, q.12, puncto 1, sub finem § *Nec debent*¹¹⁵, et Turrianus in epistula de originali, pag.21 et 22; Andrade, libro 3 *Ortodoxarum explicationum*, axiome 2, inquisitione 2 de essentia originalis fol.91. Colligitur ex Alberto et Alexandro citatis pro 1^a sententia in dubio praecedenti, et ex Hugone, Alberto, Scoto, Almansa, Maiore et aliis qui infra sectione 2, dubio 1, dicunt in Adamo non fuisse originale peccatum.

¹⁰⁹ JERÓNIMO, *Dialogus adversus pelagianos*, l.3: PL 23 616.

¹¹⁰ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 4: ed. leon. 23,112.

¹¹¹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, a.3, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.971s.

¹¹² RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 4, d.16, a.2, q.1: Brixiae 1591, t.4, pp.230s.

¹¹³ J. CAPREOLUS, *Defensiones theologicae Divi thomae Aquinatis*, l.2, dist.30, q.3, ad arg.1 contra 2^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.340s.

¹¹⁴ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.81, a.1, c: Venecia 1589, p.645b.

¹¹⁵ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, puncto 1: Lyon 1603, col.662s.

EXPLICATUR ET PROBATUR conclusio, 1^o quia in peccato habituali Adami essentialiter includebatur habitualis conversio ad creaturam per inordinatum amorem cibi et uxoris moraliter durantem; sed in peccato originali non includitur conversio ad aliquam creaturam in particulari, ut probatum est in dubio praecedenti.

Unde colligitur RATIO 2^a, qua ostenditur non solum conversionem sed et aversionem originalis peccati specie differre ab aversione ad aliud, quoniam aversio constituitur ex oppositione contra legem divinam, ut explicatum est in q.71, a.1¹¹⁶, et Adami peccatum essentialiter erat transgressio non solum praecepti servandi iustitiam pro tota posteritate sed et praeceptum non comedendi de ligno vetito, quod praeceptum secundum suam specificam rationem, licet obligaret Adamum, verum reliquos homines in illo non obligabat nisi sub praecisa ratione non amittendi iustitiam originalem, quod probo 1^o quia ratio formalis peccati originalis consistit in praecisa privatione [f.438] iustitiae originalis quam natura tenebatur habere, ut ex communi sententia probatum est dubio 4 et 7¹¹⁷, et nulla alia est obligatio cuius transgressio proprie sit parvulis imputanda.

3^o PROBATUR, quoniam etiamsi Adami peccatum habituale praescindatur a transgressione praecepti non comedendi de ligno scientiae et accipiatur sub ea solum ratione quae est transgressio praecepti retinendi iustitiam originalem, adhuc inveniemus diversam rationem in illo et in originali peccato. Et ratio est quia transgressio huius praecepti et privatio originalis iustitiae (quae idem est) constituitur formaliter per ordinem ad obligationem retinendi originalem iustitiam, quae obligatio diverso modo pertinebat ad primum parentem et ad posteros, nam illum obligabat ut qui propria voluntate oboedire poterat et non oboedire, sed posteros non obligabat nisi ut in capite continebantur et ut per voluntatem non personalem sed capitis oboedire poterant et huiusmodi obligationes specie differunt in genere moris et obligationis. CONFIRMATUR quia inde fit originale peccatum alio modo opponi

¹¹⁶ *ArchTeolGran* 56 (1993) 201; *ATG* 2 (1939) 275.

¹¹⁷ *ArchTeolGran* 63 (2000) 247; y aquí al comienzo.

legi divinae quam habituale peccatum Adami; ergo habet diversam rationem peccati.

4^o EXPLICATUR alio modo vis eiusdem argumenti. Quia voluntarium et liberum sunt de ratione peccati et hoc est diversae speciei in peccato habituali Adami et in peccato originali, nam originale sola capitis voluntate liberum est, aliud vero voluntate personae, unde fit ut originale peccatum necessitate contrahatur, ut constat supra, dubio 2. CONFIRMATUR quia communiter Doctores de originali peccato loquuntur quasi de diverso in ratione peccati a personali peccato actuali vel habituali.

5^o PROBATUR, quia Adami peccatum voluntatem et personam Adami deordinavit prius ratione quam naturam humanam; e contra vero originale peccatum naturam humanam deordinavit prius quam personam et eius voluntatem. Infra sec.2, dubio 7 in 4^a probatione conclusionis; ergo sunt peccata diversae rationis.

6^o PROBATUR, quoniam Adami peccatum habituale ex specie sua habebat gravitatem maiorem quam pleraque alia mortalia habent, at vero originale peccatum ex specie sua levius est quocumque mortali imo et quocumque veniali peccato, infra, section 4, dubio 3; ergo non est eiusdem speciei cum peccato habituali Adami. CONFIRMATUR quia poena originalis peccati est alterius rationis quam poena debita habituali peccato Adami, cui debebatur non solum poena damni sed etiam poena aeterna sensus et gravior poena cuiusque venialis. De hoc enim D. Thomas, De malo, q.5, a.2 ad 4¹¹⁸, ait peccatum secundum quod omnes peccaverunt in Adamo fuisse actuale et illi debitam fuisse poenam sensus, at vero originale peccatum sola poena damni eaque omnium mitissima debetur, infra, sec.4, dubio 3 et sec. ultima.

Ad fundamentum Caietani RESPONDEO: quamvis modus quo res fiunt plerumque non sit de earum essentia, verum infert diversam essentiam si ille modus productionis exigatur ex natura rei, ut quoniam anima rationalis exigit necessario produci per creationem ita ut non possit per generationem existere, recte colligitur specie differre ab animabus corporeis et generabilibus. Quae doctrina licet in aliis rebus negari potuisset, concedenda

¹¹⁸ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.5, a.2 ad 4: ed. leon. 23,134b.

foret in iis saltem quae essentialiter constituuntur per ordinem ad actionem; huiusmodi autem sunt peccata habitualia sive personalia sive originalia, quorum tota ratio constituitur in ordine ad actuale peccatum ratione cuius imputantur, ac proinde quoniam originale peccatum et habituale peccatum Adami diverso modo resultat ex peccato actuali Adami ideo non sunt eiusden speciei.

Ad argumenta Zumel RESPONDEO, ad 1^{um}, originalia omnia sunt unum origine quia ab uno peccato Adami originem ducunt, non quia sint eiusdem rationis cum illo. Ad confirmationem RESPONDEO: Adamus in filios transmisit peccatum suum non quantum ad rationem specificam sed praecise quoad rationem communem privationis gratiae imputabilem, abstrahendo ab hoc quod fuerit imputabilis voluntate personae aut sola voluntate capitis [f.438v] et praescindendo a transgressionem cuiusque alterius praecepti.

Ad 2 RESPONDEO distinguendo maiorem: nam si actuale peccatum fuerit idem atque modus idem respiciendi illud, tunc peccatum habituale erit eiusdem rationis; at vero si modus respiciendi idem peccatum actuale fuerit diversus, diversus erit peccatum habituale; sed transgressionem actualem Adami diverso modo respiciunt habituale Adami et originale peccatum, quapropter specie differunt.

Ad 3 RESPONDEO: in originali peccato non est proprie conversio ad creaturam et praeterea non est tota ratio transgressionis et aversionis quae fuit in peccato habituali Adami, ut constat ex quatuor prioribus rationibus conclusionis.

Dubitatur 12

**Utrum originale peccatum sit reatus, indignitas gratiae
sive dignitas carendi gratia et dignitas odii.**

Ubi de impotentia habendi gratiam

Negant Capraeolus, 2, d.30, a.3 ad 2 et ad 7, contra 4^{am} conclusionem¹¹⁹; Ruardus, a.2 contra Luterum in 3^a opinione

¹¹⁹ J. CAPREOLUS, I.2, dist.30, q.3, ad 2 contra 4^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.345s.

circa essentiam originalis peccati¹²⁰; Bellarmino in libro 5 De amissione gratiae, c.19¹²¹; Zumel, q.82, a.3, disp.2, concl.3 initio¹²².

Tres priores Doctores vel sibi contradicunt aliis in locis infra citandis vel explicandi sunt ut loquantur de reatu poenae quem constat non esse essentiam originalis peccati, ut in dubio sequenti.

Eorum argumenta sunt: —1^{um} quia dignitas vel reatus sunt relationes et res positivae; sed originale ut caetera peccata consistit in privatione; ergo. —2^{um} quia indignitas non est mors animae nec iniquitas nec malitia nec foeditas sed relatio consequens haec omnia; at peccatum originale est mors animae, iniquitas, malitia et foeditas. —3^{um} quia haec indignitas est potius effectus peccati habitualis; nam haec causalis est vera: quoniam hic homo est peccator indignus est habendi iustitiam originalem. CONFIRMATUR quoniam D. Thomas, infra, q.87¹²³, affirmat omnem reatum esse effectum peccati.

Nihilominus sit 1^a CONCLUSIO: *originale peccatum essentialiter est reatus culpae naturae humanae propter inoboedientiam illius in capite, et essentialiter includit indignitatem habendi iustitiam originalem sive gratiam, et dignitatem carendi illa, et dignitatem odii Dei, et haec omnia nihil discrepant a communi sententia Theologorum explicata dubio 4 et sequentibus, quod originale peccatum consistat in privatione iustitiae originalis.*

D. Thomas, 2, d.33, q.1, a.1 c¹²⁴, asserit ea ratione per traductionem naturae relinqui maculam et defectum gratiae in anima quatenus persona efficitur indigna Dei gratia.

Quantum ad hanc conclusionem vera est sententia Durandi, 2, d.30, q.3, praesertim n^o 14 et n^o 10¹²⁵ (quamvis quantum ad

¹²⁰ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.44.

¹²¹ ROBERTO BELLARMINO, *SI, XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.19: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.449.

¹²² FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.585.

¹²³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, I 2., q.87, a.7: ed. leon. 7,129.

¹²⁴ TOMÁS AQ., *Commentum in 2 librum Sententiarum*, Dist.33, q.1, a.1: ed. Vivès, 8, p.445.

¹²⁵ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 2, d.30, q.3, nn.14,10: Amberes 1566, f.183a,182b.

aliud reiicienda sit in dubio sequenti). Eandem conclusionem docet Equius et alii Doctores relati a Ruardo, a.2 Contra Luterum, in 3^a opinione circa essentiam originalis¹²⁶; et Ruardus postea descendit in eandem sententiam, § *Ex his videmus*, post refutatam opinionem Catherini¹²⁷, et in re idem concedit Capraeolus, 2, d.30, q. unica, a.3 ad 4^{um} argumentum contra 4^{am} opinionem¹²⁸; Valentiae, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1 prope finem § 6, col. 153¹²⁹. Valde favet Occamus, quodlibeto 3, q.11¹³⁰, quem sequitur Almain, 3 Moralium c.19¹³¹, dicens originale peccatum convertibiliter et adaequate est indignitas ex alterius peccato proveniens. Favet praeterea Medina, quaestione 82, a.1, dubio 2, conclusione 3¹³²; Magister Sententiarum, in Secundo Sententiarum, distinctione 30¹³³, originalem culpam appellat reatum et consonat aliis in locis citandis. [f.439] Soto, 1 De natura et gratia, c.9, ait originale peccatum esse reatum culpae¹³⁴. Idem Rofensis et Bellarmino, infra citandi.

1^{um} CONCLUSIONIS MEMBRUM, scilicet *originale peccatum esse reatum culpae*, probandum est praemissa significatione huius vocis *reatus*, quae licet frequentius accipiatur pro obligatione ad poenam, aliquando tamen accipitur pro culpa habituali ratione cuius homo vere permanet in peccato quamdiu illi non dimittitur; quam acceptionem notavit Magister, 2, d.42, § *Praeterea solet et sequenti*, et dist.31 et 32¹³⁵; Albertus, 2 p., q.239, mem.1, a.2;

¹²⁶ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.44.

¹²⁷ *Ibidem*, p.49.

¹²⁸ J. CAPREOLUS, l.2, q.30, dist.3, q.1, contra 4 conclus., ad 4: Turin 1903, t.4, p.348.

¹²⁹ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, puncto 1, §6: Lyon 1603, col.648s.

¹³⁰ GUILLERMO DE OCKHAM, *Quodl.3*, q.11: St.Bonaventure, N.Y.1980, t.IX, p.244.

¹³¹ JACOBO ALMAIN, *Moralia*, c.19: Paris 1512, fol.LXXI.

¹³² B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thome Aquinatis*, q.82, a.1, dub.2, concl.3: Venecia 1602, p.435b.

¹³³ PEDRO LOMBARDO, 2 *Sententiarum*, dist.30, c.6: Quaracchi 1916 p.462.

¹³⁴ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.29v.

¹³⁵ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, l.2, dist.42, c.2; dist.31s: Quaracchi 1916 p.529; 468; 473.

eadem acceptione utitur D. Thomas, q.113, a.2 ad 3¹³⁶, docens reatum culpae et aversionis a Deo manere transacto actu, et ex contextu articuli constat sermonem non esse de reatu poenae. Eadem utitur Gerson tam circa peccatum originale quam circa alia peccata in 2 p., tractatu 8 De vitiis naturae et voluntatis, capite De peccato actuali et c. De effectibus peccati, alphabeto 28, litt.M et N¹³⁷.

Imo eadem acceptio invenitur in Sacra Scriptura, ut Ex 32 [35] *percussit Dominus populum pro reatu vituli*; Iosue 6 [18], *cavete ne de iis quae praecepta sunt vobis quidpiam contingatis et sitis praevaricationis rei*, et Deuteronomio 21 [8], *auferetur ab eis reatus sanguinis*, et 1 Cor 11 [27] *reus erit Corporis et Sanguinis Domini*. Quibus in locis et similibus aliis reatum debemus intelligere *culpam* et non *obligationem ad poenam*, quoniam ut proprius et usitatus modus loquendi est aliquem pro culpa puniri, ita inusitatus et viollentus est aliquem puniri pro obligatione ad poenam. Similis modus loquendi reperitur in Capite *Maiores de bapitismo*¹³⁸.

Ex hoc fundamento CONCLUSIO ita deducitur: *reatus culpae est idem quod habituale peccatum ratione cuius formaliter homo est in peccato postquam actus peccati transit; sed originale peccatum est habituale peccatum manens in omnibus antequam gratiam recipiant; ergo est reatus.*

CONFIRMATUR 1^o, quoniam ita loquitur Tridentinus, sess.5, § 5¹³⁹, definiens *in baptismo per Christi gratiam remitti reatum originalis peccati et quidquid veram et propriam culpae rationem habet*, ubi non nisi violenter intelliges reatum poenae: erit enim ordo praeposterus prius remissionem poenae quam culpae affirmare. Sed Concilium posterioribus verbis explicuit magis quid complecteretur prioribus.

CONFIRMATUR 2^o ex Augustino, 1 Retractationum, 15¹⁴⁰,

¹³⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.113, a.2 ad 3: ed. leon. 7,330.

¹³⁷ JUAN GERSON, *De vitiis naturae et voluntatis*, De peccato actuali, De diversis effectibus peccati.: Paris 1606, tomo 2, col.137s.

¹³⁸ c.3, X, *Maiores ecclesiae*, III, 42; FRIEDBERG II, 644.

¹³⁹ Dz-Sch 1515 (792).

¹⁴⁰ AUGUSTINUS, 1 *Retractationum*, c.15: CCL 57, p.45s.

dicente infantes peccatum ex Adamo *originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos esse et hanc esse rationem ob quam poenae obnoxii detineantur*. Notetur dictio *id est*, quae ostendit identitatem reatus et culpae. Praeterea, quando Augustinus asserit concupiscentiam post baptismum manere sed sublata ratione culpae, millies pro culpa utitur voce reatus, ut libro 6 Contra Julianum, cap. 5 versus finem, et saepius c.8¹⁴¹, et in epistola ad Hieronymum quae est 26¹⁴², et epist. 25 ad Bonifacium¹⁴³, et 2 De peccatorum meritis, c.28¹⁴⁴, et 1 De nuptiis et concupiscentia, c.26, fine¹⁴⁵, ita ait: *hoc est non habere peccatum reum non esse peccati*, quod evidenter constat in sequenti c. 27. Alia testimonia Augustini vide apud Magistrum, 2, d.31 et 32¹⁴⁶. Rofensen, contra 2^{um} articulum Lutheri prope initium et longe post medium, § Non recte citas; Bellarminum 5 De amissione gratiae, c.13, prope initium¹⁴⁷, et c.7. Qui duo doctores contra Lutherum ostendunt apud Augustinum *reatum concupiscentiae esse ipsam formaliter culpam originalem*, quod qui negaverit valde favet solutionibus quibus Lutherus testimonia Augustini conatur eludere.

ALTERUM MEMBRUM SOLUTIONIS, scilicet, *in essentia originalis peccati non solum includi privationem iustitiae sed etiam indignitatem habendi illam sive dignitatem carendi et dignitatem odii*,

PROBATUR 1^o ex Durando citato, quia, ut constat ex dubio 2, culpa originalis, ut proprie retineat rationem culpae debet esse voluntaria voluntate capitis eo quod Adamus directe voluerit nos spoliare iustitia, sed quoniam propter illam inoboedientiam

¹⁴¹ AGUSTÍN, *Contra Julianum libri sex*, l.6, c.5: Paris 1555, tomo 7, fol.2043G; PL 44 851.

¹⁴² AGUSTÍN, *De origine animae hominis liber seu epistola CLXVI*: PL 33 723.

¹⁴³ AGUSTÍN, *Bonifacio episcopo*: PL 33 360.

¹⁴⁴ AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, l.2, c.28: PL 44 179.

¹⁴⁵ AGUSTÍN, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.26: PL 44 430.

¹⁴⁶ PEDRO LOMBARDO, *2 Sententiarum*, d.31s: Quaracchi 1916 p.469-478.

¹⁴⁷ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.13: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.430.

dignum fuit omnes homines amittere originalem iustitiam, ergo quousque intelligamus dignitatem carendi iustitiam non intelligimus proprie rationem voluntariae culpae.

CONFIRMATUR quia originale peccatum non est negatio sed privatio iustitiae debitae, et illud debitum in eo consistit quod in primo parente peccando amiserimus iustitiam quam per illius oboedientiam retinere debuissimus; ergo seclusa dignitate carendi iustitia et odii Dei quae resultat ex peccato actuali totius naturae humanae in capite, non [f.440] intelligitur proprie privatio debitae iustitiae, atque hac ratione colligitur efficaciter praesens conclusio, ex Anselmo, De conceptu virginali, praesertim c. ultimo¹⁴⁸, D. Thomae et communi Doctorum sententia, fusius explicata in dubio 4¹⁴⁹.

2^o PROBATUR, quoniam peccatum originle est habituale et non actuale, quapropter de illo philosophari oportet ut de peccato habituali personali excepto illo discrimine quod probatum est dubio 11; sed peccatum habituale personale non solum dicit negationem iustitiae sed etiam dignitatem carendi illa et odii Dei; ergo idem sentiendum erit de originali peccato. MINOR probanda erit in q. 86, et magna ex parte constabit in hoc et sequenti dubio.

Ex dictis colligitur originale peccatum non esse ipsam inimicitiam Dei si inimicitia accipiatur per odium hominis in Deum, quoniam odium Dei parvulus habere non potest, nec originale peccatum est odium quo Deus hominem prosequitur, quoniam hoc odium in Deo est et non in homine; quare originale peccatum in eo sensu est inimicitia quoniam est dignitas odii Dei. Ut recte Sotus, 1 De natura et gratia, c.8, fine¹⁵⁰.

Sed quoniam auctores oppositae sententiae eo fundamento praecipue nituntur quia de essentia originalis peccati nulla relatio esse debet, cuius oppositum asserit esse improbabilem Bellarmino citatus in principio huius quaestionis, et quoniam Melancthon apud Bellarminum, libro 5 De amissione gratiae, c.6¹⁵¹, repre-

¹⁴⁸ ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.ult.: PL 158, 463.

¹⁴⁹ *ArchTeolGran*, 63 (2000) 247.

¹⁵⁰ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.28v.

¹⁵¹ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et*

hendit scholasticos qui in essentia originalis peccati relationes constituunt, oportet conclusionem sequentem statuere, qua praecedens corroboratur.

2^a CONCLUSIO: *originale peccatum, in ratione formali includit non solum negationem iustitiae sed etiam respectum sive relationem ad actum quo omnes in capite peccavimus.*

Et propterea Anselmus, De conceptu virginali, c.26, in definitione peccati originalis constituit nullitatem iustitiae factam esse per inoboedientiam Adae¹⁵². Conclusionem expresse docet D. Thomas, De malo, q.4, a.2, fine¹⁵³, et infra, q.82, a.4 c, ubi Caietanus¹⁵⁴ et Conradus¹⁵⁵. qui ait hunc ordinem esse forma-lissimam rationem originalis peccati. Tenet etiam Capraeolus, 2, d.30, ad argumenta contra 4^{am} conclusionem¹⁵⁶; Ferrariensis, 4 Contra Gentiles, c.52, § ultimo¹⁵⁷. Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, punto 1 sub finem ad 1 argumentum¹⁵⁸. Et universaliter in omni macula peccati seu [f.440v] peccato habituali manere relationem distantiae seu elongationis a Deo propter praecedentem actum docet D. Bonaventura, 2, d.42, in expositione litterae, dubio 1⁵⁹; D. Thomas, infra, quaestione 86, a.2, fine et clarius, ibi, Caietanus¹⁶⁰. Sotus, 4, d.15, q.1, a.2

statu peccati, liber V, c.6: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.403.

¹⁵² ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.26 [25 (nuditatem): PL 158, 461.

¹⁵³ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2, fine: ed. leon. 23,114.

¹⁵⁴ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.82, a.4: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.99.

¹⁵⁵ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.4: Venecia 1589, p.651.

¹⁵⁶ J. CAPREOLUS, 1.2, q.30, dist.3, q.1, contra 4 conclus.: Turin 1903, t.4, p.345.

¹⁵⁷ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. leon. t.15, p.170.

¹⁵⁸ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, puncto 1, § 13: Lyon 1603, col.665.

¹⁵⁹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, a.3, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.971s.

¹⁶⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.86, a.2: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.120.

versus finem § *Sed arguit*¹⁶¹. Idem obscurius docent Alexander, 2 p., q.127, mem. 5¹⁶²; Ricardus, 2, d.42, a.2, q.1 ad 1^{um}¹⁶³; Occamus, quodlibeto 3, q.11¹⁶⁴, quem sequitur Almain, 3 *Moralium*, c.19¹⁶⁵, et in re idem existimat Zumel, q.86, a.2, in explicatione 4 conclusionis¹⁶⁶.

PROBATUR 1^o, quia sine hac relatione intelligi non potest quid intersit inter hominem creatum in puris naturalibus sine gratia et eum hominem qui per peccatum amiserit gratiam.

2^o, intelligi non potest quo modo in eo qui per primum peccatum mortale gratiam amiserit resultet secundus reatus habitualis quando secundum peccatum committit.

3^o, intelligi non potest peccata habitualia esse inaequalia, nam privatio iustitiae secluso respectu ad actum, semper est aequalis. Vide quae diximus supra q.73, a.3, dubio 4 versus finem¹⁶⁷, quomodo reatus peccatorum sint inaequales; hoc autem argumentum evidentius praemit circa originalia quam circa personalia peccata, quoniam absurdum esset concedere totam essentiam originalis peccati redire quando iustus mortaliter peccat; hoc autem necessario concedendum esse si originale peccatum diceret carentiam gratiae sine ordine ad actum ratione cuius sequitur illa carentia.

PROBATUR 2^o, quoniam propria privatio in esse moris quae habeat rationem culpae includit essentialiter ordinem ad debitum habendi et ad liberam et voluntariam transgressionem debiti ratione cuius transgressionis actualis sit imputabilis praesens privatio.

PROBATUR 3^o, quoniam per hunc ordinem efficitur ut

¹⁶¹ D. SOTO, OP, *Commentariorum in Quartum Sententiarum*, tomus primus, dist. 15, q.1, a.2: Salamanca 1557, p.713.

¹⁶² ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, art.4: Venecia 1575, fol.270v.

¹⁶³ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, dist.42, a.2, q.1 ad 1: Brixiae 1591, t.2, p.511.

¹⁶⁴ GUILLERMO DE OCKHAM, *Quodl.11*: St.Bonaventure, N.Y.1980, p.244.

¹⁶⁵ JACOBO ALMAIN, *Moralia*, c.19: Paris 1512, fol.LXXI.

¹⁶⁶ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*, q.82, a.3, concl.4: Salamanca 1594, p.586.

¹⁶⁷ *ArchTeolGran* 57 (1994) 324.

praecedens actus peccati censeatur moraliter manere quamvis physice praeterierit, in qua morali permanentia consistit habituale peccatum. Infra, dubio 14.

Ad utriusque conclusionis explicationem notandum est 1^o, hunc ordinem seu dignitatem non esse aliquid reale quoniam ex originali peccato nihil reale contrahitur, infra, dubio 14; est autem ordo rationis fundatus in peccato actuali capi- [f.441] -tis iam praeterito, et in negatione iustitiae inde proveniente.

2^o foret improbable affirmare aliquam indignitatem vere culpabilem quae praecedat privationem iustitiae originalis nam originalis culpa est ipsa privatio iustitiae, quare, ante hanc privationem non potest esse in parvulis prior alia culpa habitualis illi inhaerens, quod recte notavit Capraeolus in conclusione 2^a168; quare haec indignitas quae a nobis asseritur est quasi ratio quam iuste consequitur negatio iustitiae et cum qua constituit integram privationem moralem quae debet constare negatione iustitiae et dignitate carendi illa.

3^o carentia originalis iustitiae et gratiae habet adiunctam rationem poenae in quantum est homini mala et quodammodo contra eius voluntatem modo explicato in dubio 4 ad 3^o169. Igitur Durandus citatus in eo errat quod dignitatem carendi iustitia quatenus haec carentia poenae asserit esse essentiam originalis peccati, quod impugnabitur in dubio sequenti.

4^o ex his colligitur quo sensu admittenda sit illa definitio *originale peccatum est impotentia habendi iustitiam contracta per inoboedientiam Adami*, quam definitionem inter alias explicat Alexander, 2 p., q.122, mem 2, a.3^o170, et videtur desumpta ex Anselmo De concordia gratiae et liberi arbitrii, cap. *Restat*, col.7^o171, dicente in peccatum imputari impotentiam habendi iustitiam quam humana natura peccando sibi fecit. — Et quidem si impotentia habendi iustitiam accipiatur pro dignitate carendi illa

¹⁶⁸ J. CAPREOLUS, I.2, dist.30, q.1, 2^a conclus.: Turin 1903, t.4, p.329.

¹⁶⁹ *ArchTeolGran*, 62 (2000) 256.

¹⁷⁰ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, art.3: Venecia 1575, fol.270v.

¹⁷¹ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *Dialogus de libero arbitrio*, c. *Restat* [XIV]: PL 158, 506.

superius explicata tunc definitio erit quidditativa; si vero impotentia habendi iustitiam significet impossibilitatem recuperandi iustitiam semel amissam nisi gratis a Deo condonetur culpa, tunc definitio erit descriptiva per effectum; haec enim impossibilitas provenit ex ratione peccati, ut constat ex eodem Anselmo, *De peccato originali*, c.2 et 12¹⁷², et libro *De concordia* citato, ubi eodem modo dicit originale peccatum esse impotentiam habendi iustitiam et esse concupiscentiam, de quo infra, dubio 16.

Ad argumenta in principio proposita, RESPONDEO ad 1^{um}, negando consequentiam, quia relationes rationis non solum non repugnant privationi sed etiam sunt de essentia illius si privatio sit proprie privatio, ut ostensum est in conclusione 2.

Ad 2, negatur antecedens ut iacet; imo oppositum iam a nobis probatum est. [f.441v]

Ad 3, RESPONDEO distinguendo illam causalem hic homo quoniam est peccator dignus est carere gratia. Si enim vox peccator referatur ad peccatum actuale tunc propositio significare potest veram causam meritoriam; si vero referatur ad habituale peccatum propositio non potest esse veram nisi eo sensu quo potes dicere Petrus quoniam est homo est animal rationale; itaque esse habitualiter peccatorem non est vere causa dignitatis carendi gratia sed potest asseri causa, ut definitum quandoque dicitur esse causa definitionis. Ad confirmationem RESPONDEO: D. Thomas in q.87¹⁷³ agit de reatu poenae et non culpa et ille est effectus peccati.

¹⁷² ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.2 y 12: PL 158, 434 y 447.

¹⁷³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, I 2., q.87, a.7: ed. leon. 7,129.

Dubitatur 13

Utrum originale peccatum sit reatus poenae
Ubi an in eo sit ratio offensae

Antiqui scholastici, apud Magistrum, 2, d.30, § *Quod diligenter*¹⁷⁴, dixerunt originale peccatum esse *debitum et obnoxietatem seu reatum poenae*. Verum illi fatebantur originale peccatum non esse culpam ut idem Magister observat. Quare, de originali peccato in specie nullus catholicorum concedentium esse culpam affirmat aperte esse reatum, praeter Durandum, 2, d.30, q.3, praesertim n^o 11 et d.32, q.1 et 2¹⁷⁵. Hanc sententiam quibusdam ex antiquis adscribit Turrianus, in epistula de originali peccati definitione, ut Marco Anachoretæ et Anastasio Patriarchæ antiocheno quoniam dicunt originale peccatum esse alienationem a Deo et mortem animæ. Sed hæc verba possunt significare reatum culpæ diversum a reatum poenæ.

Originale peccatum esse reatum poenæ colligitur ex his Doctoribus qui habituale peccatum seu maculam resultantem ex actu peccati personalis non aliam agnoscunt quam reatum poenæ, ut ex professo docet Scotus, 4, d.14, q.1, § *Dico ergo*, et d.16, q.2, conclusione 2¹⁷⁶; sed d.27 mutavit sententiam, ut infra dicetur. Idem docuit aperte Gabriel, 4, d.14, q.1, a.1, notabile 2¹⁷⁷. Almain, eadem d., a.1¹⁷⁸; Durandus, 4, d.17, q.7¹⁷⁹; Ioannes de Medina, Codex de poenitentia, tractatu 1, q.7¹⁸⁰, nonnihil ab aliis dissidens in modo explicandi. [f.442]

¹⁷⁴ PEDRO LOMBARDO, 2 *Sententiarum*, d.30, cap.6: Quaracchi 1916 p.462.

¹⁷⁵ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 2, d.30, q.3, n.11; d.32, q.1 y 2: Amberes 1566, f.183a; 185b, 186a.

¹⁷⁶ F. IOANNIS DUNS SCOTI, *In librum Quartum Sententiarum*, dist.14, q.1, § *Dico ergo*, y d.16, q.2, concl. 2: Venecia 1617.

¹⁷⁷ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 4, d.14, a.1, not.2: Tubinga 1975, IV/1, p.422.

¹⁷⁸ JACOBO ALMAIN, *De poenitentia*, dist.14: Paris 1512, fol.1.

¹⁷⁹ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.7: Amberes 1566, f.341b, 342a.

¹⁸⁰ IOANNES DE MEDINA, *Codex de Poenitentia*, Tract.1, q.7: Salamanca 1549, fol.21b-24b.

Huius sententiae 1^{um} FUNDAMENTUM continet testimonia Augustini quibus in praecedenti dubio asserit culpam esse reatum sed eorum explicatio constat ibidem, agit enim Augustinus de reatu culpae qui diversus est a reatu poenae. Magis favet Augustinus in 2^a expositione Ps. 31, in ea verba *quorum tecta sunt peccata*, ubi ait *tecta peccata quare dixit? ut non viderentur; quid enim erat Deum videre peccata nisi punire peccata*¹⁸¹.

RESPONDEO 1^o, peccata tecta esse id est dimissa quoad culpam, ratio est propter quam non puniantur aeterna poena, et hoc tantum voluit Augustinus.

RESPONDEO 2^o, forte Augustinus priore membro versus, *beati quorum remissae sunt iniquitates*, intellexit remissas quoad culpam, et posteriori peccata intellexit esse tecta quoad poenam.

Clarius videtur id affirmasse Augustinus in libro 6 Contra Iulianum, c.8¹⁸², ubi ex professo disputans de culpa et reatu manente post actum, dicit illum non manere nisi in occultis legibus Dei, et unda baptismi deleri tanquam in chirographo scriptum in notitia spiritualium potestatum per quas poena exigitur peccatorum; loquitur autem praecipue de reatu originalis peccati. Sed cum Augustinus alibi saepe in originali peccato distinguat culpa a poena, ut vidimus in dubio 1, hic locus intelligendus est quasi a posteriori explicans illam moralem indignitatem et obliquitatem ex qua sequitur reatus poenae. Vide alia testimonia Augustini explicata in dubio 1, conclusione 4, fine¹⁸³.

FUNDAMENTUM 2^{um} sumitur ex Dionysio, c.4 De divinis nominibus dicente *puniri non est malum sed fieri poena dignum*¹⁸⁴; ergo dignitas poenae est malum culpae condistinctum a malo poenae. CONFIRMARI potest quia Patres frequenter mortale peccatum a veniali distinguunt penes reatum poena temporalis vel aeternae, ut Hieronymus, Chrysostomus et Gregorius citati in q.88, a.1, dubio 9 initio¹⁸⁵; ergo propria macula utriusque

¹⁸¹ AGUSTÍN, *In psalmum XXXI*: PL 36 264.

¹⁸² AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.244; PL 44 858.

¹⁸³ *ArchTeolGran*, 63 (2000) 223.

¹⁸⁴ DIONYSIUS AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.4: PL 3,723.

¹⁸⁵ *ArchTeolGran* 53 (1990) 239.

peccati est reatus poenae. CONFIRMATUR 2^o quoniam Anselmus, De conceptu virginali, c.2¹⁸⁶, ait originale peccatum esse debitum satisfaciendi pro primo peccato.

3^{um} ARGUMENTUM Scoti: quia quidquid relinquitur ex actu peccati tollitur per lapsum tem- [f.442v] -poris etiamsi homo non pertineat [peniteat] peccatum; sed macula peccati non tollitur per lapsum temporis etiam infiniti nisi homo poeniteat; ergo haec macula debet consistere in quadam relatione rationis ad intellectum et voluntatem Dei quatenus a Deo decernitur illi suplicium donec poeniteat.

4^{um} Scoti: quia meritum proveniens ex bonis actibus est ordinatio ad gloriam; ergo in malis actibus macula est ordinatio ad poenam. Antecedens PROBATUR quia, si quis actiones meritorias eliceret plures quam alter et utriusque gratia in hac vita non augetur, nihilominus ille prior haberet maius meritum ex ordine ad maiorem gloriam.

5^{um} eiusdem sumitur a simili, quoniam si aliquis offendat principem, nihil in eo permanet ratione cuius dicatur inimicus nisi in quantum a voluntate principis ordinatur ad suplicium.

Durandi FUNDAMENTA duo sunt: 1^{um} quia carere iustitia originali est poena; ergo esse dignum carere iustitia originali est esse dignum poena; sed originale peccatum formaliter affert dignitatem carendi iustitia originali, ut probatum est in dubio praecedenti; ergo originale peccatum formaliter affert dignitatem poenae.

2^{um} FUNDAMENTUM eiusdem, in 4, d.17, q.7¹⁸⁷: quia in Deo respectu peccatoris non est proprie sed tantum metaphorice displicentia de nostris delictis, sed tantum est proprie voluntas puniendi illa; ergo nulla alia macula remanet ex peccato ratione cuius homo sit Deo exossus praeter dignitatem poenae. Confirmat quia Deus nostris delictis non offenditur proprie sed metaphorice, ex eo praecise quod ea punire vult.

¹⁸⁶ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.2: PL 158, 434.

¹⁸⁷ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.7, n.12: Amberes 1566, f.342a.

Nihilominus sit CONCLUSIO 1^a: *essentia originalis peccati non consistit in reatu poenae, et oppositum existimo errori proximum.*

PROBATUR 1^o, quoniam in dubio 1, conclusione 3¹⁸⁸, constat esse de fide in originali peccato non esse solam rationem poenae sed etiam esse propriam et veram rationem culpae distinctam a poena. Pro quo recolenda sunt praesertim verba Tridentini, sess. 5, § 2¹⁸⁹; Moguntini, can.5; Anselmi, De conceptu virginali, c.3 et sequentibus¹⁹⁰; Augustini, 3 De peccatorum meritis, c.8¹⁹¹; et libro 6 In Iulianum, c.4 et 12¹⁹²; et Gregorii, 15 Moralium, c.22¹⁹³. At vero haeretici quos Concilia et Patres oppugnant concedebant in pueris obli- [f.443] -gationem ad poenas corporis; et ex catholicis illi quorum sententia damnatur ut erronea in eodem dubio 1, conclusione 4¹⁹⁴, concedebant parvulos carere gratia et gloria in poenam peccati primi parentis, quare ulterius oportet concedere rationem culpae diversam a poena, imo antiqui scholastici in principio huius quaestionis adducti agnoscebant reatum poenae non esse culpam.

Sed quoniam haec sententia Durandi asserit originale peccatum esse reatum poenae et simul esse culpam vere imputabilem, propterea non censetur erronea sed errori proxima.

Ex his colligitur non carere aliquo periculo sententiam Scoti et aliorum qui universaliter affirmant non aliter manere peccatum habituale transacto actu nisi quatenus manet reatus poenae; tum quia si hoc verum esset in personalibus peccatis, a fortiori concedendum esset in peccato originali, tum etiam propter rationes infra dicendas quibus et communi Doctorum sensu et aliis theologicis conclusionibus adversatur, quoniam theologi

¹⁸⁸ *ArchTeolGran* 63 (2000) 212.

¹⁸⁹ *Dz-Sch* 1512 (789).

¹⁹⁰ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.3: PL 158, 436.

¹⁹¹ AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione contra pelagianos*, l.2, c.8: Paris 1555, t.7, fol.149 H.

¹⁹² AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.4: Paris 1555, tomo 7, fol.240s,246; PL 44 836ss, 868s.

¹⁹³ GREGORIO MAGNO, *Expositio Moralis*, l.15, c.22: Amberes 1572, fol.97v; PL 75 1110.

¹⁹⁴ *ArchTeolGran* 63 (2000) 221.

communiter concedunt maculam peccati seu peccatum habituale diversum a reatu poenae.

Ita D. Bonaventura, 2, d.42, in expositione litterae, dub.1¹⁹⁵; Ricardus, ex professo, 4, d.17, a.4, q.4¹⁹⁶; Basolis 4, d.14, q.2, a.1. Idem subobscure Alexander, 2 p., q.127, mem 5¹⁹⁷; atque idem supponit Gerson, 2 p., tract.8, De vitiis naturae et voluntatis, cap. de peccato actuali, et cap. de effectibus peccati, alphabeto 28, littera n et M¹⁹⁸. Colligitur ex Magistro et Alberto citatis in dubio praecedenti, post conclusionem primam. Idem constat apud D. Thoma ubicumque de peccato habituali aut eius macula disputat, praesertim infra, q.86 et 87¹⁹⁹, ubi omnes eius discipuli, et in materia de poenitentia aut de gratia, cum disputant utrum culpa remitti possit sine poenitentia aut sine infusione gratiae; et Soto, 4, d.15, q.1, a.2 late probat²⁰⁰. Et in specie originale peccatum non esse reatum poenae docent D. Thomas, 2, d.32, q.1, a.1 corpore²⁰¹; Capraeolus, Ruardus, Bellarmino, et Zumel citati in priori dubio 12; Soto, 1 De natura et gratia, c.9²⁰²; Turrianus in epistula de peccati originalis definitione, et recentiores communiter. Denique Scotus ipse in 4, d.21, q.1²⁰³, agens de venialis peccati remissione, postquam retulit opiniones dicentium remitti eo quod remittitur poena, ita scribit: *sed iste modus non placet quia videntur sancti distinguere inter remissionem culpae et poenae*, quare tunc Scotus idem a fortiori diceret

¹⁹⁵ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, dub.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.975.

¹⁹⁶ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 4, d.17, a.4, q.4: Brixiae 1591, t.4, fol.CVIIIv.

¹⁹⁷ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, art.4: Venecia 1575, fol.270v.

¹⁹⁸ JUAN GERSON, *De vitiis naturae et voluntatis*, De peccato actuali, De diversis effectibus peccati.: Paris 1606, tomo 2, col.137s.

¹⁹⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.86 y 87: ed. leon. 7,118 y 121.

²⁰⁰ D. SOTO, OP, *Commentariorum in Quartum Sententiarum*, tomus primus, dist. 15, q.1, a.2: Salamanca 1557, p.707ss.

²⁰¹ THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, dist.32, q.1, a.1 c: Paris 1873, p.431.

²⁰² D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.29v.

²⁰³ F. IOANNIS DUNS SCOTI, *In librum Quartum Sententiarum*, dist.21, q.1: Venecia 1617, p.735.

de culpa mortali et originali.

Antequam rationibus confirmemus *in universum nullum peccatum habituale sive originale sive personale consistere in reatu poenae*, notandum est opinionem Scoti, si solam rationem attendas, a probabilitate distare longius quam opinionem Durandi; nam Scotus reatum poenae dicit esse relationem rationis resultantem in homine ex decreto puniendi quod Deus habet, haec autem relatio rationis evidentius prae se fert bonitatem contrariam culpae habituali, quod probō:

1^{um} quoniam bonum est hominem qui peccavit esse ordinatum a Deo ad suplicium: sic enim resarcitur [f.443v] ordo iustitiae.

2^o PROBATUR, quoniam Deus auctor est huius ordinis, siquidem provenit ex decreto Dei; illud autem cuius Deus auctor est non potest esse peccatum habituale, et in universum Deum auctorem esse poenae quamvis non sit auctor culpae, tractatum est in q.79, a.1, dubio 1 ad 5²⁰⁴, ex Hieronymo, Augustino, Magistro, Altissiodorensi, D. Thoma et aliis.

3^o PROBATUR, quoniam damnati in inferno plurima peccata committunt quorum maculae habituales permanent transeunte actu et tamen non ordinantur a Deo ad aliquod suplicium novum propter nova peccata, imo quamvis Deus, ut potest de potentia absoluta, nullum suplicium decrevisset peccatoribus, adhuc maneret peccati macula.

Durandus vero supra citatus non relationem proveniente ex decreto Dei sed relationem dignitatis poenae proveniente ex actuali culpa dixit esse habituale peccatum. Contra quem modum dicendi ARGUITUR

1^o: quoniam habituale peccatum formaliter constituit hominem malum et iniustum et est ratio inimicitiae ratione cuius displicet Deo persona et non est bene subordinata Deo in esse moralis sed potius aversa est a Deo et Deus aversus est ab illa; at vero dignitas poenae non constituit hominem malum et iniustum nec ad amicitiam et subordinationem sed ad iustitiam punitivam refertur. CONFIRMATUR quoniam in opinione Durandi gratiae infusio non affert directe et immediate remissionem culpae habitualis ut in

²⁰⁴ ArchTeolGran 62 (2000) 157.

opinionem nostram; est autem sententia communis Theologorum culpae remissionem fieri per infusionem gratiae.

2^o arguitur: quoniam reatus poenae est effectus culpae: ideo enim aliquis dignus est supplicio quoniam aversus est a Deo et dignus odio.

3^o, quoniam alias quandiu maneret dignitas alicuius poenae maneret aliquid habitualis culpae; consequens autem est falsum, quoniam peccata mortalia quantum ad culpam remittuntur prorsus per sacramentum poenitentiae, ita ut ex illis nihil culpae restet, et tamen ut plurimum relinquitur reatus alicuius poenae solvendae in hac vita vel in purgatorio; ergo reatus poenae non est peccatum habituale. CONFIRMATUR, quia absurdum esset dicere propter sacramentum poenitentiae commutari peccata gravia in peccata levia, cum tamen verum sit reatum poenae commutari in reatum poenae temporalis; ergo reatus poenae nullo modo est culpa. Ex his rationibus aliquas refert Durandus, 4, d.17, q.1, ad 2^{um}, et respondet conviciis potius quam solutionibus²⁰⁵.

Ut ergo ad peccatum originale redeamus, eadem rationes probant originale peccatum non consistere in reatu poenae, ut asserit conclusio 1^a.

2^a CONCLUSIO: *originale peccatum essentialiter continet ordinem ad reatum poenae ut radix illius.*

PROBATUR quoniam omnis culpa est ratio poenae. Similis [f.444] conclusio latius probata est in q.88, dubio 9, conclusione 2²⁰⁶. Et hoc tantum voluit Anselmus citatus in 2^o argumento atque alii Patres qui peccata distiguunt penes reatus poenae. Idemque intendit D. Dionysius, c.4 De divinis nominibus dicens *puniri non est malum sed fieri poena dignum*²⁰⁷, ubi notandum est non dixisse *dignum esse*, sed *dignum fieri*, ut notetur non digni-tatem poenae sed rationem et causam illius dignitatis quae est culpa esse malam, quod magis indicant verba quae sequuntur:

²⁰⁵ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.1, nn.7s: Amberes 1566, f.338b.

²⁰⁶ *ArchTeolGran* 53 (1990) pg.239.

²⁰⁷ DIONYSIUS AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.4: PL 3,723.

nec secundum dignitatem prohiberi sacris sed non sacrum et non sanctum fieri et incontaminatis inoportunum, ubi generalem doctrinam explicat hoc exemplo: non est malum aliquem excommunicari aut interdici rebus sacris sed malum est aliquem carere debita religione et sanctitate, et hoc est inoportunum reliquis fidelibus et sanctis et propterea illum a sua communione segregant. Unde constat a D. Dionysio malitiam non constitui in reatu poenae sed in privatione sanctitatis quae est ratio poenae quod late probaverat eodem capite. Sic etiam Magister, 2, d.30, § *Sed quod originale*²⁰⁸, dicit meritum poenae esse reatum.

Ad argumenta in principio proposita, RESPONDEO

Ad 1^{um} dictum est ibidem.

Ad 2^{um}, RESPONDET 2^a conclusio.

Ad 3^{um}, RESPONDEO, omisso antecedente de quo disputatum est in q.72, a.6, dubio 4²⁰⁹, negando consequentiam, nam licet originale peccatum non sit aliquid reale, est tamen privatio entis realis cum relatione rationis non ad poenam nec ad divinam voluntatem puniendi sed ad actum hominis ratione cuius odio dignus est et dignus carere Dei gratia.

Ad 4^{um} RESPONDEO negando consequentiam, quoniam meritum boni actus correspondet reatui poenae et bonitas et dignitas amoris Dei correspondet culpae et malitiae; unde sicut in eo qui elicit plures actus bonos, etiamsi non recipiat augmentum gratiae, manet esse habitualiter magis sanctum per imputationem moralem praecedentium actuum bonorum qui adhuc moraliter durant, et dignus est maioris gratiae et amoris Dei, unde ut passio provenit dignitas praemii, ita ex peccato actuali manet hominem esse habitualiter iniustum et indignum, et hinc provenit reatus poenae.

[f.444v] Ad 5^{um} RESPONDEO negando antecedens, nam ille qui offendit principem, etiam cessante actu vere est indignus amicitia principis et caret debita subiectione morali in ordine ad principem, ratione cuius merito persona displicet principi sub ea ratione qua offensor est, unde provenit ut poena dignus sit.

Ad fundamenta Durandi RESPONDEO:

²⁰⁸ PEDRO LOMBARDO, 2 *Sententiarum*, d.30, cap.7: Quaracchi 1916 p.463.

²⁰⁹ *ArchTeolGran*, 56 (1993) 248-255.

1^{um} fundamentum fallit variata appellatione, nam dignitas carendi gratia in quantum haec carentia est poena, ut sic, non est essentia originalis peccati, sed in quantum haec carentia constituit nos aversos et deordinatos a Deo et dignos odio Dei.— Et quamvis aliquis contendat in hac etiam formalitate carentiae includi essentialiter aliquam rationem poenae, nihil interest dummodo ratio constituendi peccatum habituale non sit ratio poenae sed ratio aversionis et deordinationis propter actum praecedentem. Vide quae diximus in dubio 4 ad 3²¹⁰.

Ad 2^{um} RESPONDEO, antecedens esse falsum, imo in Deo est proprie et sine ulla metaphora displicentia et odium peccatoris in quantum peccator est, qui actus est ratione prior quam voluntas puniendi peccatorem, sed de actu displicentiae et de ratione offensae activae et passivae plura diximus in q. 73, a.3 [a.2], dubio 4, part.4²¹¹.

Atque ex eodem loco constat solutio confirmationis, scilicet, Deum vere et sine metaphora offendi peccatis, quatenus vere Deo displicent et vere auferunt aliquem honorem Deo debitum. Unde colligo originale peccatum esse proprie et vere offensam Dei habitualement sicut est proprie culpa et peccatum.

Quare reiiciendus est non solum Durandus, supra, sed etiam Gulielmus Parisiensis, tomo 1, tractatu de vitiis et peccatis, capite 8, quod incipit *De mensura*, col.3, ubi ait originale peccatum non esse iniuriam nec offensam Dei²¹², et Bellarmino, libro 5 De amissione gratiae, cap. 19, § *Offensa autem*²¹³. Bellarmini fundamentum erat quoniam offensa videtur esse in eo qui per peccatum laeditur non in eo qui peccavit. Sed quamvis ad modum loquendi potius quam ad rem pertineat, solet tamen utraque significatione usurpari nomen offensae aliquando pro accepto nocumento et plerumque pro inferentis culpa.

²¹⁰ *ArchTeolGran* 63 (2000) pg.256s.

²¹¹ *ArchTeolGran*, 73 (1994) 292.

²¹² GULIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARISIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.8: Ambiani 1674, p.279 b.

²¹³ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.19, § Offensa quoque: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.451.

Dubitatur 14**Utrum originale peccatum sit actuale peccatum Adami
aliquo modo manens donec remittatur
Ubi an sit terminus inoboedientiae et macula**

[f.445]

Affirmat Soto, 1 De natura et gratia, c.9, initio²¹⁴, et Ruardus, a.2 contra Lutherum, § *Hac itaque ratione* et in fine praecedentis §, pag. 48²¹⁵, ubi postquam explicuit modus quo Adamus peccator erat denominatione ab inoboedientia praeterita sed moraliter durante quamdiu non remittebatur a Deo, infert ab eadem inoboedientia moraliter durante in eius posteris quamdiu non remittitur esse omnes homines peccatores. — Confirmat ex Augustino, libro 6 Contra Iulianum, capite 8, dicens *impietas qua idolis sacrificatur tandiu manet donec idolis renunciatur et credatur in Deum*²¹⁶. Et certe D. Augustinus eodem capite 8, similiter sentire videtur de reatu originalis peccati quamvis in aliis proprietatibus discrimen constituat. Consonat idem Augustinus, libro 1 De nuptiis et concupiscentia, c.26 et 27²¹⁷, et Ambrosius apud Augustinum, libro 1 In Iulianum, col.4, ait *Adami culpa est mors omnium*²¹⁸, sed manifestius Hugo de S. Victore, tomo 3, tractatu de Sacramentis Fidei, libro 1, p.7, cap.27, ita loquitur: *quod Adamo actuale fuit nos originale habemus quia in nos per solam nativitatem descendit quod in illo per actionem fuit*²¹⁹. Vide infra dubio 16.

Eadem sententia colligitur efficaciter ex iis qui docent habituale peccatum in eo praecise consistere quod actuale peccatum commissum fuerit et non fuerit dimissum. Ita Basolis, 4, d.14, q.2, a.1. Et videtur eiusdem sententiae Medina, De poenitentia, trac.1, q.7; sed in re potius tenet habituale peccatum

²¹⁴ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.29.

²¹⁵ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.48s.

²¹⁶ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.244E; PL 44 860.

²¹⁷ AGUSTÍN, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.26s: PL 44 430s.

²¹⁸ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.1, col.4: Paris 1555, tomo 7, fol.203E.

²¹⁹ HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, l.1, parte 7, c.27: PL 176

esse dignitatem poenae, ut supra, dubio 13, in 1^a sententia²²⁰. Alexander, 2 p., q.127, mem.7, fine²²¹, ait maculam peccati esse voluntatem habitualement manendi in peccato ex eo praecise quod non vult poenitere de illo. Favent valde Caietanus et Bellarmino citandi in 1 q., et modus loquendi eorum qui dicunt peccatum transire actu et remanere reatum quasi idem actus qui transit moraliter maneat. Ita loquitur Augustinus, 1 De nuptiis et concupiscentiis, c.26²²²; Magister, 2, d.42, § *Praeterea solet*²²³; D. Thomas infra, q.113, a.2 ad 3²²⁴. Sed pro huius explicatione

DICENDUM est 1^o, si quis affirmaret originale peccatum esse actuale peccatum Adami manens donec remittatur infantibus ita tamen ut nihil inhaerens parvulis habeat veram rationem culpae, hic coincideret cum errore Alberti, Pighii et Catherini, refutato supra, dubio 1, conclusione 9, cui [f.445v] favere videtur Ruardus supra. Propterea sententia Basolis parum tuta est, quoniam expresse negat ratione habitualis peccati inesse hominibus aliquam relationem rationis aut privationem entis realis sed praeteriisse actum et non esse dimissum, ex quo inferri potest idem circa originale peccatum, quod est contra Tridentinum, sess. 5, § 3²²⁵, definiens singulis hominibus inesse peculiarem culpam originale.

DICO 2^o, idem modus loquendi admittit aliquem sensum verum, scilicet peccatum originale esse peccatum actuale Adami moraliter manens in filiis quatenus filii nascuntur cum propria et inhaerente sibi privatione iustitiae originalis cum ordine ad actuale peccatum Adami ratione cuius ordinis moraliter imputatur et durat in illis inoboedientia Adami. Hoc probatum est et explicatum supra, dubio 12, preasertim conclusione 2, et nihil amplius ostendunt Augustinus, Ambrosius, Hugo, Soto et Ruardus citati

²²⁰ IOANNES DE MEDINA, *Codex de Poenitentia*, Tract.1, q.7: Salamanca 1549, fol.21b-24b.

²²¹ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.110, mem.7: Venecia 1575, fol.290v.

²²² AGUSTÍN, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.26: PL 44 430.

²²³ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, l.2, dist.42, c.2: Quaracchi 1916 p.529.

²²⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.113, a.2 ad 3: ed. leon. 7,330.

²²⁵ Dz-Sch 1513 (790).

qui possunt etiam explicari ut Hugonem intelligit Alexander, 2 p., q.122, mem.2, a.1 fine²²⁶, quod peccatum actuale Adami sit nostrum originale non formaliter sed ut causa effectum praehabet quasi eminenter. Idem Conradus, q.82, a.2. notabile 1²²⁷.

DICO 3^o: idem modus loquendi non est usurpandus sine explanatione quoniam audientibus erroris suspicionem afferre poterit.

Atque ex dictis facile solvitur obiectio Bellarmini, libro 5 De amissione gratiae, cap.19, § *Ex his omnibus*²²⁸, ubi ait *ordo ad actum praecedentem non est proprie peccatum quia formaliter facit non ut homo peccatum habeat sed ut habuerit et non possit non habuisse quo circa manet hic ordo etiam post dimissum peccatum quoniam deleri non potest.* — Sed huic obiectioni occurrunt fere omnes Doctores qui in hoc et duobus praecedentibus dubiis existimant in essentia peccati habitualis includi ordinem ad actum dicentes habituale peccatum non afferre ordinem ad actum praeteritum utcumque sed actum praeteritum non dimissum, qui ordo cessat quando peccatum dimissum est et ratione illius homo habet peccatum habituale quamvis non habeat sed tantum habuerit actum peccati.

Restant DUAE QUAESTIUNCULAE circa rationem formalem originalis peccati quarum brevem decisionem colligemus ex praesenti et superioribus dubiis.

1^a est utrum originale peccatum sit terminus inoboedientiae actualis Adami ita intrinse- [f.446] -cus ut ab illa tantum differat sicut fieri et factum esse. Affirmativam partem manifeste supponit Caietanus, q.83, a.1²²⁹, et universaliter omne peccatum habituale differre a suo actu non ut duas res et duo peccata sed quasi unum idemque peccatum alio atque alio modo se habens sicut differt calefactio a calore producto. Affirmat Bellarmino, De

²²⁶ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, art.1: Venecia 1575, fol.270.

²²⁷ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.2, nota 1: Venecia 1589, p.647b.

²²⁸ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.19: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.450.

²²⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.83, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.101.

amissione gratiae, libro 5, c.17, initio²³⁰, et Soto 4, d.15, q.1, a.2, in argumento 4 contra Scotum²³¹.

Nihilominus, DICO 1^o: peccatum originale non est terminus immediate resultans ex actuali inoboedientia Adami, eo modo quo calor resultat ex calefactione; quin potius non solum in originali sed etiam in personalibus peccatis habituale peccatum et illius actus distinguitur realiter saltem negative, modo infra explicando.

PROBATUR quoniam vel agimus de positiva monstruositate inoboedientiae actualis Adami, et illa ut erat realis actio et in fieri terminata est ad realem qualitatem in facto esse quae est volitio turpis; illa autem realis volitio non potest esse idem realiter cum privatione gratiae cuiusque hominis.

CONFIRMATUR 1^o quoniam cuiusque actionis voluntatis et intellectus terminus est qualitas in eisdem potentiis recepta.

CONFIRMATUR 2^o, quoniam realis actionis non potest esse terminus proprius et intrinsecus nisi ens reale; sed originale peccatum parvulis inhaerens non est ens reale, ut ex superioribus constat; ergo non est terminus proprius et intrinsecus illius actionis realis quae in Adamo fuit contraria praecepto.

Quod si meram rationem actualis culpae quae fuit in illa volitione Adami ut consistit in sola privatione, compares cum peccato originali filiorum, adhuc distinguerentur quasi realiter, —tum quia duae illae privationes excludunt formas realiter diversas, nam privatio quae fuit in actu Adami excludebat honestatem oboedientiae actualis quam Adamus deberet habere, sed non excludebat formaliter gratiam quam tamen peccatum originale formaliter excludit. —Tum etiam quoniam quae sunt in subiectis realiter distinctis censentur distingui ad modum entium realium [f.446v] quamvis non sint entia realia. Quare originalia peccata diversorum infantium erunt quasi realiter diversa unde non poterunt esse idem realiter cum una eademque ratione peccati actualis quae in Adamo fuit. Ac denique quoniam privatio illa

²³⁰ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.17: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.446.

²³¹ D. SOTO, OP, *Commentariorum in Quartum Sententiarum*, tomus primus, dist. 15, q.1, a.2: Salamanca 1557, p.712b.

quae fuit in actu Adami sive consideretur in fieri sive in facto esse non est peccatum inhaerens infanti donec in illo intelligatur privatio gratiae sive in fieri sive in facto esse resultans ex inoboedientia Adami.

DICO 2^o: forte Caietanus et alii Doctores intendunt nullum alium esse terminum qui permaneat postquam transierit inoboedientia Adami nisi peccatum originale, et hoc iudicari unum cum peccato Adami in esse moris.

2^a QUAESTIUMCULA est *utrum originale peccatum sit macula.*

RESPONDEO affirmative, ut colligitur ex Iob: *nemo mundus est a sorde, nec infans cuius est unius diei vita super terram*, ubi originalis peccati immunditiam intelligunt Origenes, homilia 8 in Leviticum²³²; Basilius in Ps 32, in id *misericordia Domini plena est terra*²³³; Clemens Alexandrinus, 3 Stromatum, ad finem²³⁴; Cyrillus Alexandrinus, libro 12 in Leviticum²³⁵; Augustinus, Gregorius Magnus et alii saepe.

RATIONE PROBATUR quoniam macula peccati est idem quod habituale peccatum remanens ex actu, ut constat apud D. Thoma, infra, q.86²³⁶, Alexandrum et alios Doctores citatos in dubio 12 et 13. — Atque in specie originale peccatum appellant maculam Ricardus, 2, d.32, a.3, q.1²³⁷; Ruardus, a.2 Contra Lutherum, § *Hac itaque ratione*, p.48²³⁸; Gerson, 2^a p. tract.8, c. De nominibus peccati originalis, alphabeto 28, littera L²³⁹; Marsilius, 2, q.19, a.1, conclusione 2⁴⁰.

Porro habituale peccatum propterea macula dicitur quoniam gratiae et rectitudinis nitore et quasi rationis splendore privat, ut

²³² ORIGENES, *In Leviticum homilia VIII*: PG 12 495.

²³³ BASILIO MAGNO, *Homilia in Ps 32*: PG 29 332.

²³⁴ CLEMENTE ALEJANDRINO, 3 *Stromatum*: PG 8 1210s.

²³⁵ CIRILO DE ALEJANDRÍA, *In Leviticum*, libro 12: París 1573, col.140.

²³⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.86: ed. leon. 7,119.

²³⁷ RICARDO DE MEDIAYLLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, dist.32, a.3, q.1: Brixiae 1591, t.2, p.401.

²³⁸ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.48.

²³⁹ JUAN GERSON, *De nominibus peccati originalis*.: París 1606, tomo 2, col.136.

²⁴⁰ MARSILIO DE INGUEN, *Quaestiones secundi Sententiarum*, Q.19, a.1, concl.2: Strasburgo 1501, fol.CCCIIIa.

copiose explicat D. Thomas citatus et Rainelius, 2 p., verbo *peccatum*, c.29.

Dubitatur 15

Utrum universi homines peccaverint aliquo actu a quo proveniat reatus originalis

1°. Quoniam in explicanda ratione voluntarii et turpis quam continet originalis reatus [f.447] recurrimus semper ad actum quem respicit ut radicem et causam oportet paulo fusius hunc peccati originalis actum explicare.

2°. Ad vocis aequivocationem vitandam praemitto a Doctoribus communiter, sive antiquis sive recentioribus, appellari actuale peccatum illud quod ab originali distinguitur, sive sit actus ipse sive reatus, qui modus loquendi reperitur etiam apud Innocentium, capite *Maiores de Baptismo*²⁴¹. Nos autem ut minori ambiguitate distinguamus actum et habitualement reatum, tam in peccato personali quam in originali, utimur communiter complexo peccati personalis ad significandum illud peccatum quod ab originali distinguitur.

3°. Praemitto absurdissimum errorem Lutheri in assertione a.3 dicentis *fomitem* (quem in a.2 dixerat esse originale peccatum) esse omnia peccata actualia sive personalia, ut infidelitatem, desperationem, odium Dei, furtum, etc. Unde cum Sacra Scriptura infantibus tribuat originale peccatum ab instanti conceptionis, supra dubio²⁴², sequitur infantes antequam nascantur committere personalia peccata, quod delirium irridet et impugnat Augustinus, 1 De peccatorum meritis, c.16 et c.35²⁴³, et cum lumine naturae et experientia pugnat, ac postremo in Sacra Scriptura, ut ad Rom 9 [11] *cum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali*, et Deut 1 [39] *filii tui qui hodie ignorant*

²⁴¹ c.3, X, *Maiores ecclesiae*, III, 42; FRIEDBERG II, 645.

²⁴² *ArchTeolGran*, 62 (2000) 203-226.

²⁴³ AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione contra pelagianos*, l.1, c.16; 35; Paris 1555, t.7, fol.142 M; 147 K. PL 44 120, 147.

distantiam boni et mali, et Ionae 4 [11] *qui ignorant quid sit inter dexteram et sinistram*; ignorata autem distantia boni et mali impossibile est peccatum actuale. Vide Rophensem, Contra 3 articulos Lutheri et Bellarmino, De amissione gratiae c.4²⁴⁴.

Nec dissimile est error eorum qui existimabant originale peccatum propterea transire in animam quoniam illa actu elicit appetiit unionem cum carne, quos recte impugnat Divus Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.2²⁴⁵, ubi Richardus, eodem a. et q. Dicemus aliquid infra, sec.2, dubio 6.

Igitur in praesenti quaestio non est nisi *de illo primo peccato Adami, utrum omnes homines illud actualiter commiserint*.

Plerique Doctores absolute asserunt infantes non peccavisse actualiter. Ut Alexander, 2 p., q.122, mem.2, a.3²⁴⁶; D. Thomas 4 Contra Gentiles, c.52 ad 2²⁴⁷; Ricardus, 2, d.30, a.1, q.1 ad ultimum, dicens quod habitum originalis peccati nullus actus praecesserit; Turrianus, in Epistula de originali peccato, sub initium, sed suam mentem magis explicat pagina 29.

Verum hi aliique Doctores intendunt infantes cum Adamo nihil egisse peculiari actione singulorum, verum minime negant actum Adami fuisse actum omnium hominum, ut infra dicemus.

Durius in hac re loquitur Peltanus, De originis peccato, tractatu 6, § *Et quoniam*²⁴⁸; contendit enim infantes non esse dicendos peccantes sed tantum peccatores, quoniam ad illos reatus originalis pertineat sed non illius actus.

Zumel in hac re varius est. Nam actus peccati infantibus negare videtur q.81, a.1, disputatione 1, concl.5 fine, et concl.6, et disp.2, concl.3 et 4, et ad 5 argumentum²⁴⁹, sed aliis in locis utriusque disputationis [f.447v] admittit actum peccati.

²⁴⁴ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.4: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.399.

²⁴⁵ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, d.31, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.752s.

²⁴⁶ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, art.3: Venecia 1575, fol.270v.

²⁴⁷ TOMÁS AQ., *Summa contra Gentiles*, l.4, c.52: ed. leon. 15, p.164.

²⁴⁸ PELTANUS, *De originis peccato*, tract.6: Colonia 1576, p.70.

²⁴⁹ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*, q.81, a.1, concl.3 y 4: Salamanca 1594, p.518 y 520.

1^{um} argumentum, Turriani: quoniam infantes non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, ad Rom 5; ergo multo minus peccaverunt ipso peccato Adami. CONFIRMATUR quia non potuerunt illi peccato cooperari quando non erant.

2^{um} Peltani: quia infantibus inhaeret reatus originalis quibus tamen nullus actus eiusdem peccati inhaeret; sed ille actus tantum fuit in Adamo; ergo solus Adamus ab illo denominatus est peccans.

3^{um} Zumel: quoniam ut pueri contrahant reatum originalem satis est peccavisse caput totius naturae humanae nec opus est peccavisse omnes homines.

4^{um} eiusdem: quoniam si omnes homines peccavissent actualiter peccato Adami foret omnium hominum peccatum unicum quoniam unicus fuit actus Adami; falsitas autem consequentis constat quoniam originalia tot sunt quot homines generantur, infra sect.4, dubio 1. — CONFIRMARI potest quoniam oppositum coincidere videtur cum errore Catherini refutato dubio 1, concl.4²⁵⁰.

5^{um} argumentum: quia si omnes homines peccaverunt in Adamo necessarium est ut in aliquo instanti verum fuerit dicere nunc omnes homines peccant; sed in nullo instanti verum fuit dicere nunc omnes homines peccant; ergo non est verum peccavisse omnes homines. Maior ex philosophia constat quia nihil unquam est praeteritum nisi aliquando fuerit praesens, unde ortum habet illa summistica regula *omnem veram propositionem de praeterito reducendam esse ad aliquam propositionem de praesenti quae aliquando vera fuerit*. Minor autem PROBATUR quoniam Petrus nec peccavit quando Adamus gustavit pomum, nam si Petrus postea miraculose crearetur a Deo falsum esset dicere eum peccavisse; nec Petrus peccat in Adamo quando nascitur, quia iam praeteriit actus qui fuit transgressio totius naturae et nihil tunc agitur nec voluntate personali nec voluntate capitis sed tantum contrahitur reatus.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *homines universi peccaverunt in Adamo ita ut omnium hominum actio fuerit inoboedientia Adami quamvis soli Adamo inhaeserit.*

²⁵⁰ ArchTeolGran 63 (2000) 221.

Hanc conclusionem existimo sine peccato negari non posse, quam manifeste docet Augustinus ubique sed praesertim 16 De civitate, cap.17²⁵¹, et 1 De peccatorum meritis cap.10, et libro 3, cap.7²⁵², et epist. 23 ad Bonifatium²⁵³.

Alii Patres concedunt nos in Adamo manducavisse, non ieiunasse; et peccavisse, ut Basilius, oratione de ieiunio²⁵⁴, Naciancenus, in oratione de natali Domini²⁵⁵, Bernardus, sermone 1 de dominica post octavam Epiphaniae²⁵⁶, Fotius, apud Eumenium, in id ad Rom 5, *in quo omnes peccaverunt*²⁵⁷; Anselmus, De conceptu virginali, cap.7²⁵⁸, et cap.26, *naturam inquit humanam acusat spontanea quam fecit iustitiae desertio*²⁵⁹.

Idem manifestius docent Scho- [f.448] -lastici, 2, d.1, § *Circumspexit*. Albertus, 2 p., tract.17, q.107, mem.2²⁶⁰; Alexander, 2 p., q.22, mem.5²⁶¹; Altissiodorensis, libro 2, tract.27, c.1²⁶²; D. Thomas, De malo, q.4, a.1²⁶³; D. Bonaventura, 2, d.32, a.3. q.1 ad 2²⁶⁴; Henricus, quodlibeta 2, q.11²⁶⁵; Capraeolus, 2, d.30, q. unica, a.3, ad argumentum 1^{um}

²⁵¹ AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, l.14, c.17: CCL 48,439s; PL 41,425s.

²⁵² AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione contra pelagianos*, l.1, c.10; l.3, c.7: Paris 1555, t.7, fol.141 L; 156 B.

²⁵³ AGUSTÍN, *Bonifacio episcopo*: PL 33 360.

²⁵⁴ BASILIO MAGNO, *De jejunio homilia I*: PG 31 167.

²⁵⁵ GREGORIO NAZIANCENO, *In Theophania sive Natalitia Salvatoris*: PG 36 315.

²⁵⁶ BERNARDO, *Dominica prima post octavam Epiphaniae*, sermo 1: Roma 1966, t.4, p.366.

²⁵⁷ ECUMENIO, *Pauli Apostoli ad Romanos*, c.5, 13: PG 118 416.

²⁵⁸ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.7: PL 158, 441.

²⁵⁹ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.27 [26]: PL 158, 461.

²⁶⁰ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologiae*, 2, tract.17, q.107, mem.2: Paris 1895, t.33, p.288s.

²⁶¹ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2ª pars, q.105, mem.5: Venecia 1575, fol.272v.

²⁶² GULIELMUS ALTISSIODORENSIS (DE AUXERRE), *Sacra...in quattuor Sententiarum libros... explanatio*: Bibl.Apost.Vatic., Incun.III-439, fol.97.

²⁶³ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.1 ad 5: ed. leon. 23,105.

²⁶⁴ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.3, q.1 ad 2: Quaracchi, t.2 (1885), p.770.

²⁶⁵ ENRIQUE DE GANTE, *Quodlibeta*, 2, q.11: Lovaina 1961, fol.XXXVIIv.

contra 2^{am} conclusionem²⁶⁶; Driedo, 2 De gratia et libero arbitrio, tractatu 3, c.1, p.1 sub finem²⁶⁷; Ruardus, a.2 Contra Lutherum, § *Et quia ut diximus*, post medium²⁶⁸, et postea in propositione 7 et in 10 de originali²⁶⁹; Lindanus, libro 4 Panochiae, cap.9; et ex professo Bellarmino, tomo 3, libro 5 De amissione gratiae, c.18; vide etiam c.17²⁷⁰; Soto, 1 De natura et gratia, c.9, § *Sed tamen*²⁷¹.

PROBATUR 1^o ex Paulo ad Rom 5 [12] *in quo omnes peccaverunt*, scilicet in Adamo, de cuius explicatione dictum est dubio 1, conclusione 2, probatione 2; et ad Rom 3 [23] *omnes peccaverunt et egent gloria Dei*; ergo et infantes peccaverunt, non personali voluntate; ergo in capite. Nec potest responderi hunc modum loquendi figuratum esse aut minus proprium cum apud Doctores scholasticos reperiatur quasi exactus et confirmatur sequentibus rationibus.

2^o PROBATUR RATIONE, ab Augustino, Bernardo et D. Thoma et aliis: quoniam in Adamo omnes homines erant quasi unus homo, ut membra censentur esse unum cum capite; de qua ratione plura diximus dubio 2, praesertim conclusione 5²⁷². CONFIRMATUR quoniam hac ratione absolute dicitur ab universo regno praescribi legem quae a magnatibus et senatoribus totius populi nomine sancitur.

3^o PROBATUR quoniam nulla habitualis culpa poterit inhaerere infantibus nisi illorum actus fuerit inoboedientia Adami, quod inde evidenter ostenditur quoniam habituale peccatum ut proprie culpa sit debet esse voluntarium; sed non potest esse voluntarium nisi propter aliquem actum voluntatis, quoniam solus actus voluntatis per se formaliter et ratione sui voluntarius seu potius est ipsa

²⁶⁶ J. CAPREOLUS, l.2, dist.30, q.3, ad 1 contra 2^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.340.

²⁶⁷ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, Tract.3, c.1, parte 1: Lovaina 1566, fol.103.

²⁶⁸ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: Lovaina 1565, p.47.

²⁶⁹ IDEM *Ibidem* p.87s.

²⁷⁰ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.18;17: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.447;446.

²⁷¹ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.30.

²⁷² *ArchTeolGran* 63 (2000) pg.238-241s.

volitio, reliqua autem omnia ab ipso participant rationem voluntarii, imo nec ratio turpitudinis potest esse in peccato habituali nisi propter actum voluntatis, quoniam turpitudine peccati propria supponit voluntarium; supra, q.74, a.1 et 2⁷³.

RESPONDENT aliqui satis esse voluntarium esse parvulis habituali voluntate. CONTRA quod arguitur quoniam habitualis voluntas dupliciter accipitur: -1° pro habitu reali inclinante ad volendum, de quo nihil ad praesens attinet, quoniam nec reperitur in parvulis nec culpa est in adultis quamvis sit effectus culpae. -2° modo habitualis vo- [f.448v] -luntas sumitur pro actu voluntatis qui iam non existit realiter, quatenus censetur moraliter durare quamdiu non est dimissus, et hoc modo habitualis voluntas evidenter supponit actualem volitionem quae aliquando realiter fuerit.

4^{um} ARGUMENTUM deducitur ex multis superioribus dubiis in quibus nisi recurras ad ordinem essentialem privationis ad actum non poteris rationem reddere ob quam privatio iustitiae originalis, aversio a Deo et conversio ad creaturam reperiatur in pueris et non foret in homine qui a Deo crearetur in puris naturalibus, nec quare haec privatio habeat rationem culpae et indignitatis diversam a ratione poenae, nec quomodo Adami reatus et culpa ad nos omnes transierit, aliisque difficultatibus vix aut ne vix quidem te poteris expedire.

5° PROBATUR quoniam nisi praeter habituale peccatum singulis hominibus proprium vere fuisset omnium hominum actus extrinsecus actualis inoboedientia Adami, sequeretur eum qui nullum originale contraxit non peccavisse in Adamo ac proinde Beatissimam Virginem Mariam non peccavisse in Adamo, quod aut nullam aut valde exiguam probabilitatem habet, ut dicemus infra.

6°. Quoniam infantes nascuntur subdite daemonis et peccati, ut dicetur ubi de poena originalis peccati; hoc autem proprium est illius qui peccavit, secundum illud Ioannis 8 [34] *qui facit peccatum servus est peccati*.

Hic desideravit aliquis speciem, gravitatem et occasionem peccati actualis primorum parentum. De quo videri possunt

⁷³ ArchTeolGran, 59 (1996) 171-193.

Doctores cum Magistro 2, d.21, 22 et 23²⁷⁴, et cum D. Thoma, 2 2, q.163 et duabus sequentibus²⁷⁵, et copiose Bellarmino, tomo 3, integro libro 3 De amissione gratiae²⁷⁶; Pererius, libro 6 in Genesim, disp. de peccato Evae et disputatione de gravitate peccati primorum parentum²⁷⁷. — Hoc in praesenti praetermittitur, tum quia non potest breviter explicari tum etiam quoniam peculiaris species peccati actualis Adami, sive superbiae sive haeresis sive inordinati amoris uxoris sive gulae sive alterius cuiusque speciei nihil mutat speciem originalis peccati quoniam ille actus Adami non fuit omnium hominum actus nisi sub ea ratione praecise qua fuit inoboedientia et transgressio divinae legis de servanda originali iustitia pro tota humana natura, ut ostendimus in dubio 10 et 11.

Ad 1^{um} argumentum RESPONDEO: probat infantes non peccavisse in Adamo quasi qui realem influxum ad illius actionem contulerint; nos autem asserimus [f.449] aliter peccavisse, scilicet ut actio quae physice a solo Adamo pendebat fuerit moraliter omnium hominum volitio, ut membrorum quae potestate continebantur in capite.

Ad 2^{um} RESPONDEO: quamvis actus illius peccati non inhaereat singulis hominibus adhuc censetur moraliter fuisse omnium hominum actio. De ratione autem propter quam reatus inhaereat singulis hominibus potius quam actus, dictum est dubio 2 sub finem²⁷⁸.

Ad 3^{um} RESPONDEO: ut pueri contrahant originale peccatum sufficit actualiter peccavisse eorum caput; sed hoc propterea sufficit quia hoc ipsum est pueros peccavisse in capite quod nisi verum esset non sufficeret peccavisse caput.

Ad 4^{um} RESPONDEO distinguendo consequens, nam actus pec-

²⁷⁴ PEDRO LOMBARDO, 2 *Sententiarum*, d.21ss: Quaracchi 1916 p.403-419.

²⁷⁵ TOMÁS AQ., 2 2, *QQ.163-165*: ed. leon.10, p.328-341.

²⁷⁶ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber III: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.302-327.

²⁷⁷ BENEDICTUS PERERIUS VALENTINUS S.I., *Commentariorum et Disputationum in Genesim tomus primus*, Liber 6, Disputatio de peccato Evae, Disp. de gravitate peccati primorum parentum: Lyon 1599, p.634, 649.

²⁷⁸ *ArchTeolGran* 63 (2000) 241.

cati originalis unicus fuit omnium hominum quoniam peccaverunt ut unus homo vel ut genus contentum in uno capite; at vero habituale peccatum originale inde proveniens inde est multiplex pro numero hominum. Ad confirmationem RESPONDEO: nostra sententia longe distat ab errore Catherini, quoniam ille praeter actionem peccati omnibus hominibus extrinsece communem nullum agnoscit reatum singulis hominibus inhaerentem; nos vero propterea concedimus inoboedientiam Adami fuisse omnium hominum actionem ut singulorum hominum reatus originales quamvis multi sint possint esse voluntarii in ordine ad illam unan actionem.

Ad 5^{um}, Augustinus, 3 De peccatorum meritis, cap.7²⁷⁹, dicit *in Adam omnes tunc peccaverunt quando in eius natura insita in qua omnes gignere poterat omnes illi unus fuerunt*, atque idem videntur sentire Doctores supra citati; itaque in eo instanti in quo peccavit Adamus verum fuit dicere Petrus in Adam peccat, et sic de aliis hominibus. Et quando obiicitur *si Petrus crearetur a Deo non peccavisset in Adamo*, RESPONDEO illam propositionem de praesenti tunc fuisse veram dependentem a futura nativitate Petri ex stirpe Adami, quam nativatem virtualiter significat illa propositio; quare non erit vera si supponas hanc nativatem non esse futuram atque hoc modo loquendi [f.449v] dici potest filios regnum amittere quando pater vincitur quamvis filii nondum geniti fuerint sed generandi.

Appendix

Utrum originale maneat actu post baptismum

Affirmat Lutherus apud Rofensem, a.2 longe post medium, eo fine ut ostendat post baptismum manere totam essentiam originalis peccati, et profert ut verba Augustini *peccatum originale reatu transit, actu remanet*. Idem prius imposuit Augustino Iulianus, a

²⁷⁹ AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione contra pelagianos*, l.3, c.7: Paris 1555, t.7, fol.156 D.

quo Augustinus se defendit in libro 6 Contra Iulianum, c.8²⁸⁰, ostendens se nunquam dixisse originale manere actu et transire reatu, sed tantum dixisse *concupiscentiae reatum transire et actum manere*; itaque non manet originale actu, sed concupiscentia est quae manet actu quantum ad inordinatos motus. Idem Augustinus, libro 1 De nuptiis et concupiscentia, c.26 et 27²⁸¹, asserit tamen hoc vitium sive hoc malum concupiscentiae transire reatu et remanere actu.

Dico igitur 1^o: *originalis peccati actus, de quo in proximo dubio, non manet post baptismum.*

PROBATUR quoniam ille actus reali existentia non fuit nisi tempore Adami, et quantum ad moralem imputationem remittitur per bap-tismum.

Dico 2^o: *post baptismum nullus actus peccati originalis remanet qui sit proprie culpa.*

Quod ex professo probabitur dubio 19.

Dico 3^o: *actus concupiscentiae qui ab Augustino et aliis dicitur remanere post baptismum, quodammodo est actus originalis peccati quatenus ex illo per accidens resultavit, quoniam si non praecessisset peccatum originale non remaneret in baptismo inordinatus motus concupiscentiae, verum ille motus non est culpa sed tantum effectus per accidens culpae.* De qua re late et optime D. Thomas 2, d.32, q.1, a.1, praesertim ad 3²⁸²; et D. Bonaventura, ibidem ad 2²⁸³. Sicque intelligendus est Hugo de S. Victore qui in libro 1 De Sacramentis p.7, cap. [f.450] 31 fine, ait *concupiscere est actus culpae originalis*²⁸⁴.

Dico 4^o: quantum ad modum loquendi his temporibus maiori opus est circumspectione propter Lutheri et aliorum haeticorum calumniam quapropter absolute non est dicendum originale

²⁸⁰ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.243M.

²⁸¹ AGUSTÍN, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.26: PL 44 430.

²⁸² THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, dist.32, q.1, a.1 ad 3: Paris 1873, p.432.

²⁸³ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.1, q.1 ad 2: Quaracchi, t.2 (1885), p.764.

²⁸⁴ HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, l.1, parte 7, c.31: PL 176 302.

peccatum manere actu sed tantum manere actum concupiscentiae, quamvis utraque propositio, scilicet *manet actus originalis peccati post baptismum* et *manet actus concupiscentiae*, inveniatur apud aliquos scholasticos, ut Magistrum, 2, d.42, § *Praeterea solet*²⁸⁵, et d.32, § *Deinde*²⁸⁶; Albertus, 2 p., q.107, mem 4, a.3, partic.3²⁸⁷; Alexander, 2 p., q.122, membro 6²⁸⁸; Gerson, 2 p., tract. De vitiis naturae et voluntatis, cap. de peccato actuali mortali, alphabeto 28, littera M²⁸⁹. Sed cautius loqui videtur D. Thomas, De malo, q.4, a.2 ad 10²⁹⁰; Glossa ad Rom 4, verbo *iniquitates*; vide Conradum, q.82, a.3, fine²⁹¹; Capraeolum, 2, d.30, q.unica, a.3 ad argumenta contra 3^{am} conclusionem²⁹²; Driedo, De gratia et libero arbitrio, trac.3, c.3, parte 4, consideratione 6, pag.245²⁹³.

Dubitatur 16

Utrum concupiscentia sit originale peccatum

De hac re postea cum haereticis; nunc vero cum catholicis disputandum est.

Pro parte negativa ARGUITUR 1^o: quoniam omne peccatum est contra naturam, supra q.71, a.2²⁹⁴; sed concupiscentia naturalis est quoniam est proprius actus virtutis concupiscibilis, quae est

²⁸⁵ PEDRO LOMBARDO, *2 Sententiarum*, d.42, c.2: Quaracchi 1916 p.529.

²⁸⁶ PEDRO LOMBARDO, *2 Sententiarum*, d.32: Quaracchi 1916 p.474.

²⁸⁷ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologiae*, 2, trct.17, q.107, mem.4, a.3, partic.3: Paris 1895, t.33, p.301s.

²⁸⁸ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.6: Venecia 1575, fol.273.

²⁸⁹ JUAN GERSON, *De vitiis naturae et voluntatis*, De peccato actuali...: Paris 1606, tomo 2, col.137.

²⁹⁰ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 10: ed. leon. 23,112b.

²⁹¹ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.3, fine: Venecia 1589, p.650b.

²⁹² J. CAPREOLUS, l.2, dist.30, q.1, a.3, ad arg. contra 3^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.355.

²⁹³ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, Tract.3, c.3, parte 4, consideratio 6: Lovaina 1566, fol.131v.

²⁹⁴ *ArchTeolGran*, 49 (1986) 264-296.

potentia naturalis; ergo concupiscentia non est peccatum originale.

2° ARGUITUR: quoniam ex peccato originali erumpunt in nobis passiones peccatorum secundum Apostolum ad Romanos 7 [8] sed praeter concupiscentiam sunt aliae multae passiones ut tristitia, ira, spes et desperatio; ergo peccatum originale non magis est [f.450v] concupiscentia quam alia passio.

3°: quoniam animae quae ante usum rationis decedunt sine baptismo retinent originale peccatum et propter illud in aeternum puniuntur poena damni, et tamen iam cum corpore sensus et eorum concupiscentia deposuerunt; ergo concupiscentia non est originale peccatum.

Quod si aliquis respondeat voluntati animae separatae inesse suam concupiscentiam, vel ad tempus resurrectionis confugiat; contra illum arguitur: quoniam concupiscentia, sive appetitus sensitivi sive voluntatis refertur ad motus contra rationem, quorum nullum patientur pueri ratione status in quo non possunt committere personale peccatum ratione cuius digni essent ulteriori poena.

4°: quoniam reatus originalis similis est illi quem Adamus propter primam transgressionem contraxit; sed Adami reatus non erat concupiscentia; ergo reatus originalis non est concupiscentia. MINOR PROBATUR quoniam primus reatus culpae et reliqui alii personales reatus in Adamo et in nobis sunt eiusdem rationis sed alii reatus personales non sunt concupiscentiae; ergo nec ille primus. CONFIRMATUR quoniam non redditur sufficiens ratio discriminis.

5°: quoniam post baptismum nihil remanet originalis culpae; et tamen remanet concupiscentia; ergo concupiscentia non est peccatum originale.

6°: quoniam in puris naturalibus esset concupiscentia et tamen non esset originale peccatum.

7°: quoniam Deus auctor est concupiscentiae ut cuiusque naturalis potentiae, et tamen non est auctor originalis peccati.

8°: quoniam est effectus et poena peccati [f.451] originalis; ergo non est ipsum peccatum originale. ANTECEDENS colligitur ex Paulo ad Rom 7 [8] dicente *peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, et traditur frequenter a Sanctis Patribus,

praesertim Augustino.

9^o: quoniam pecoribus inest concupiscentia et tamen in illis non est originale peccatum; ergo concupiscentia non est originale peccatum.

NOTANDUM est 1^o: *concupiscentiae nomen* in Sacris Scripturis quandoque appetitum boni, ut Ps 118 [20] *concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas*; ad Galatas 5 [17] *spiritus concupiscit adversus carnem*; et Sapiientia 6 [12,14,18,21]. Frequentius tamen in malam partem accipitur, ut 1^a Ioannis, 2 [16] *omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis*, etc; Iacobi 1 [14] *unusquisque tentatur a concupiscentia sua*. Priorem acceptionem concupiscentiae agnoscit Augustinus, contione 8 in Ps 118²⁹⁵, sed posteriori utitur passim in libris adversus pelagianos.

Similes acceptiones sensualitatis quod nomen fere synonymum est concupiscentiae notavimus ex communi usu scholasticorum, supra quaestione 74, articulo 3, initio. Vide supra quaestione 30 et q.77, a.5²⁹⁶.

2^o: eo differt *libido a concupiscentia*, quoniam ut notat auctor Hypognosticon, libro 4²⁹⁷, non refertur ad rem quae propter rationem libet sed quae propter voluptatem libet; atque de huius nomine vi et proprietate videri potest Augustinus, libro 14 De Civitate Dei, c.16²⁹⁸. De concupiscentiae significatione plura constabunt ex sequentibus conclusionibus, sed de concupiscentia [f.451v] ut libidinis significatione fusius Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tractatu 3, c.3, parte 1 et 2 et 3²⁹⁹; Ruardus, articulo 2 contra Lutherum, prope finem, propositione 1 de concupiscentia³⁰⁰.

3^o: *fomes peccati et concupiscentia* quando in malam partem

²⁹⁵ AGUSTÍN, *Enarrationes in Psalmos*, In Ps CXVIII: PL 37 1520, CCL 40 1687.

²⁹⁶ *ArchTeolGran* 59 (1996) 194.

²⁹⁷ *Hypognesticon contra pelagianos et coelestianos*, (vulgo libri Hypognesticon), libro 4, c.1...: PL 45 1639...

²⁹⁸ AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, l.14, c.16: CCL 48; PL 41,424s.

²⁹⁹ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, Tract.3, tract.3, c.3, parte 1,2,3: Lovaina 1566, fol.123v-129.

³⁰⁰ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.86.

accipitur habet eandem prorsus significationem apud Augustinum, Anselmum, Glossam, Magistrum, Altissiodorensem, Albertum, Alexandrum, Divum Thomam, D. Bonaventuram, Ricardum et reliquos Doctores locis infra citandis in hoc et in 18 dubio, in quibus illud unum discrimen observari poterit quod fomes peccati ad solum appetitum sensitivum referatur frequentius, raro ad inclinationem pravam voluntatis; sed concupiscentia utroque modo accipitur. Quo supposito quidquid de concupiscentia dixerim idem de fomite eodem modo accepto dictum esse volo.

De ratione nominis et essentia fomitis magis ex professo disputant Albertus, quaestione 108³⁰¹, et Alexander, 2 p., q.123 corpore³⁰².

Igitur originale peccatum esse concupiscentiam seu fomitem ex Adami peccato proveniente existimare videntur Augustinus, Glossa, Hugo de Sto. Victore et Magister. Nam Augustinus, tomo 10, in tractatu de verbis Apostoli³⁰³, ait *concupiscentiam cum qua nati sumus esse vitium*; et libro De baptismo parvulorum³⁰⁴, ait *Adam praeter imitationis exemplum occulta etiam tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit omnes in se de sua stirpe venturos*; et 1 Retractationum capite 14³⁰⁵, *reatus concupiscentiae in baptisate solvitur*, et 1, De peccatorum meritis capite 29³⁰⁶ quod in membris nostris et totum animum in se deiectum conatur attrahere neque cum mens voluerit surgit nec cum mens voluerit conquiescit hoc est malum peccati in quo nascitur omnis homo. Vide libros: 4 in Iulianum, capite 14; et libro 6, capite 5 [f.452] versus finem; et c.8³⁰⁷. Similia referuntur infra dubio 18, quorum multa habentur apud Gre-

³⁰¹ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologiae*, 2, tract.17, q.108: Paris 1895, t.33, p.303.

³⁰² ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.7: Venecia 1575, fol.273vs.

³⁰³ AGUSTÍN, *Sermo de verbis Apostoli*: PL 38 816.

³⁰⁴ AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum*, l.1, c.9: PL 44 115.

³⁰⁵ AGUSTÍN, *Retractationum libri duo*, l.1, XV (XIV): CCL 57, p.46.

³⁰⁶ AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione contra pelagianos*, l.1, c.29: Paris 1555, t.7, fol.146 I.

³⁰⁷ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.4, c.14; 1.6,c.5; 1.6,c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.227 AB; fol.242 I; fol.243 M.

gorium Ariminensem, 2, distinctione 30³⁰⁸, et Capraeolum ibidem, articulo 2 in argumentis contra 3^{am} conclusionem³⁰⁹.

Glossa ad Romanos 7 [8] in id *peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, ita loquitur: fomes peccati et vitium concupiscentiae operatum est in me sensum delectationis et operis; et ad Romanos 4 [7] verbo *iniquitates* explicat originale peccatum, id est, fomes peccati qui dicitur concupiscentia. Hugo de Sancto Victore, tomò 3 tractatu de Sacramentis fidei, parte 7, c.28³¹⁰, asserit *originale peccatum est corruptio sive vitium quod nascendo trahimus per ignorantiam in mente et concupiscentiam in carne*, quod magis explicat capite 32 et 34; Magister 2, d.30, § *Nunc superest*³¹¹, ait originale peccatum esse concupiscentiam vel fomitem seu legem membrorum; sed de sententia Magistri et aliorum dicetur dubio 18. Favet Abulensis in caput 4 Mt, quaestione 75, dicens concupiscentiam esse contrariam originali iustitiae.

Nihilominus sit 1^a CONCLUSIO CERTA, *praeciso omni respectu ad privationem iustitiae originalis et inoboedientiam naturae habitualiter manentem, totum quod remanet in concupiscentia nullo modo est peccatum originale*; itaque neque est ratio formalis neque pars materialis peccati originalis; quapropter si accipias realem potestatem voluntatis ad appetendum aliquod bonum particulare contra rationem et realem potestatem appetitus sensitivi esse propendentem ad sensibilia bona, et illis adiungas negationem perfectionis ratione cuius ex se non habent sufficientem virtutem ut diu se contineant a peccatis, totum hoc neque est ratio formalis neque materialis [f.452v] originalis peccati.

PROBATUR 1^o, quoniam hoc totum esset in puris naturalibus, infra, dubio 18.

³⁰⁸ GREGORIUS ARIMINENSIS *super secundo Sententiarum*, dist.30: Venecia 1522, fol.111v.

³⁰⁹ J. CAPREOLUS, I.2, dist.30, q.1, a.2, ad arg. contra 3^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.352.

³¹⁰ HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, I.1, parte 7, c.28, 32, 34: PL 176 299, 302s.

³¹¹ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, I.2, dist.30, c.8: Quaracchi 1916, I, p.464.

2^o, quoniam idem remanet post baptismum quando, ex Tridentino sess. 5^a, canone ultimo³¹², *nihil remanet quod culpae rationem habeat*, infra, dubio 19.

3^o PROBATUR quoniam actus inordinati appetitus sensitivi non sunt peccata personalia praecisa denominatione a consensu rationis, ut probatum est in q.74, articulo 3, praesertim dubio 2 et 3³¹³; ergo multo minus potentia a qua oriuntur illi inordinati motus habebit rationem originalis culpae praecisa denominatione a consensu rationis et transgressione naturae in primo parente.

Sit 2^a CONCLUSIO: *concupiscentia, ut adiuncta privationi iustitiae originalis et inoboedientiae moraliter durantis, ut sic non est ratio formalis originalis peccati, sed est pars quasi materialis illius*. Ita docent communiter Theologi. Albertus, 2^a parte, q. 107, mem. 3 sub finem³¹⁴; Alexander, 2 p., q.122, mem.2, art.3³¹⁵; D. Thomas, hac q. 82, art.3 et alibi saepe; D. Bonaventura, 2, distinctione 30, art.2, q.1³¹⁶; D. Antoninus, 1 p., titulo 8, capite 1³¹⁷; Gerson, 2 parte, tractatu 8 de vitiis naturae et voluntatis, capite de originali, alphabeto 28, littera L³¹⁸; Almain, 3 Moraliu, capite 19³¹⁹; Scotus, 2, d. 32, § *Circa istam materiam*³²⁰; communiter scholastici 2, d. 30, ubi Durandus, q.3, numero 13³²¹; Ricardus, a.1, q.2 et a.4, q.1³²²; Maior, q.2³²³; Gabriel, q.1 fine et q.2 in opinione

³¹² Dz-Sch 1515 (792).

³¹³ *ArchTeolGran*, 59 (1996) 195-210.

³¹⁴ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologiae*, 2, trct.17, q.107, mem.3: Paris 1895, t.33, p.291.

³¹⁵ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.7, a.1: Venecia 1575, fol.273v.

³¹⁶ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.30, a.2, q.1 ad 2: Quaracchi, t.2 (1885), p.722s.

³¹⁷ ANTONINO, ARZOB. FLORENTINO, OP, *Summa*, 1 p., tit.8: Lyon 1529, fol.96a.

³¹⁸ JUAN GERSON, *De vitiis naturae et voluntatis*, De peccato originali.: Paris 1606, tomo 2, col.135.

³¹⁹ JACOBO ALMAIN, *Moralia*, c.19: Paris 1512, fol.LXXIs.

³²⁰ B.IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.30-32, art.3: Quaracchi 1914, 2, p.769.

³²¹ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 2, d.30, q.3, n.13: Amberes 1566, f.183a.

³²² RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, dist.30, a.1, q.2:

3²⁴; Marsilius, q.19, a.3²⁵; Capraeolus, 2, d.30, q. unica, a.1, conclusione 4 et a.3 ad argumenta contra 3^{am} conclusionem²⁶; Ruardus, a.2 contra Lutherum, § *Et quia omnes fere scholae*²⁷; et iterum [f.453] sub finem articuli per plures propositiones; Conradus et alii expositores, 1^a 2^{ae}, q.82, a.3²⁸; Ferrariensis, 4 Contra Gentiles, c.52, § ultimo²⁹; Soto, 1 De natura et gratia, c.9³⁰; Corduba, 1 quaestionum, q.10, opin.6.

Conclusionem PROBAT Anselmus, De concordia gratiae et liberi arbitrii, cap. *Restat* col.8³¹, ex Paulo ad Romanos 8 [1] *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant*: quo significat Paulus eos qui non sunt in Christo, id est, non baptizatos, sequi damnationem cum sentiunt inordinatos motus carnis etiamsi non secundum carnem ambulent; ergo ante baptismum concupiscentia est peccatum secluso consensu voluntatis; sed non potest esse peccatum personale; ergo peccatum originale.

CONFIRMANT aliqui ex capite 6 [12] ad Romanos: *non regnet peccatum in vestro mortali corpore ut oboediatis concupiscentiis eius*; sed haec verba cum ad baptizatos dirigantur non possunt de originali peccato intelligi.

RATIONE PROBAT Anselmus quoniam omnes homines debuerunt inordinatos motus concupiscentiae reicere retinendo iustitiam originalem; ergo culpa est illos pati etiam invitos quoniam propter

Brixiae 1591, t.2, p.377.

²²⁵ IOANNES MAIOR, *In Secundum Sententiarum*, dist.30, q.2: Paris 1500, fol.40.

²²⁴ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.1, Tertia est opinio Alexandri: Tubinga 1975, II, p.565.

²²⁵ MARSILIO DE INGUEN, *Quaestiones secundi Sententiarum*, Q.19, a.1, concl.2: Estrasburgo 1501, fol.CCCVIIIa.

²²⁶ J. CAPREOLUS, l.2, dist.30, q.1, a.1, conclus.4: Turin 1903, t.4, p.331; dist.30, q.1, a.3, ad arg. contra conclus.4: Turin 1903, t.4, p.345s.

²²⁷ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.38.

²²⁸ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.3: Venecia 1589, p.649.

²²⁹ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. leon. t.15, p.170.

²³⁰ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III*, l.1, c.9: Salamanca 1554, f.30.

²³¹ ANSELMO CANTUARIENSE, *De concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*, cap. *Restat*: PL 158 521s.

voluntariam originalem culpam patiuntur.

Hanc conclusionem tantum intendit Augustinus, Glossa, Hugo et Magister citati ante conclusionem 1^{am}; quod inde colligitur quia dicunt post baptismum non manere concupiscentiam in ratione culpae sed tantum in ratione poenae, ut dicemus ad 5^{um} argumentum. Unde manifestum est ultra inordinatam inclinationem appetitus ac voluntatis aliquid aliud intelligi a quo baptizati liberantur et clarius Hugonis mens constat ex c.23 eiusdem 7 partis libri 1 De Sacramentis³³², ubi ait *transgressionem superioris appetitus quae sola fuit culpa, subsequuta est transgressio inferioris quae est poena et culpa. Concupiscentia spiritus inordinati, culpa; concupiscentia carnis poena et culpa*. Constat etiam ex aliis verbis quae retulimus initio dubii 14.

Si autem inquiras quare hi Doctores definitionem originalis peccati acceperint ex parte naturali originalis peccati potius quam ex ratione formali, RESPONDET Albertus citatus quoniam manifestior est concupiscentia et facilius nostros aperiet oculos ut cognoscamus privationem iustitiae, nam et Gn 3 [7] *aperti sunt oculi amborum et agnoverunt se esse nudos* scilicet veste [f.453v] originalis iustitiae, nam aliorum vestium nuditatem non potuerunt non vidisse prius nisi prius caeci fuissent. Itaque internus mentis sensus apertus est, non exteriores oculi, ut Chrysostomus et Augustinus notant, quos sequitur Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.3, p.1³³³, et quod attinet ad vestem originalis iustitiae vide quae ex Patribus retulimus supra dubio 5, probatione 2³³⁴.

Adde quod Augustinus praecipue refutabat pelagianam haeresim quae rebellionem carnis negabat effectum esse peccati et propterea ad exagerandam malitiam concupiscentiae non solum argumentis sed etiam definitionibus incumbabant.

Conclusionis membrum 1^{um}, scilicet concupiscentiam non esse rationem formalem peccati originalis, PROBATUM remanet superio-

³³² HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, 1.1, parte 7, c.23: PL 176 297.

³³³ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, Tract.3, 1.1, tract.3, c.3, parte 1,2,3: Lovaina 1566, fol.123v.

³³⁴ *ArchTeolGran*, 63 (2000) 263.

ribus dubiis, praesertim 4³³⁵ et 7, in quibus constat rationem formalem originalis peccati esse privationem originalis iustitiae sub ea ratione qua voluntatem Deo subiiciebat.

PROBATUR 2^o, ex Paulo ad Romanos 7 [8] dicente *peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*; si ergo originale peccatum causa est concupiscentiae, non potest concupiscentia esse ratio formalis illius. Quomodo autem, quamvis sit pars materialis possit esse effectus eiusdem, dicemus infra.

2^{um} membrum conclusionis, scilicet concupiscentiam esse materialem partem originalis peccati, probabimus explicando illius ambiguitatem, circa quam quaeri potest, 1^o utrum haec concupiscentia sit solum appetitus sensitivus vel sit etiam voluntas. Plerique nomine concupiscentiae solum appetitum sensitivum intelligere videntur ut contra rationem rebellis est. Ita Augustinus, Hugo et Magister locis adductis ante 5^{am} conclusionem. D. Thomas, 1^a 2^{ae}, q.82, a.3 corpore et 3 p., q.27, a.3³³⁶. Durandus, 3, d.3, q.3³³⁷, ubi alii scholastici qui concupiscentiam referunt ad carnem et membra quae contra rationem moventur. Verumtamen explicari possunt ut nomine carnis et membrorum non solum appetitus sed etiam voluntas intelligatur ut est ad vitia proclivis. Sic enim Ioannes, c.4 [3,6] *quod natum est ex carne caro est*, et ad Gal 5 [20] inter opera carnis numeratur infidelitas; et inter membra quae sunt super terram numeratur *avaritia*, ad Colosenses 3 [5]; et 1 Cor 15 [50] *caro et sanguis Regnum Dei non possidebunt*, quam acceptionem carnis diligenter observat Augustinus [f.454] 14 De Civitate, cap. 2, 3 et 4³³⁸; facit etiam libro 6 in Iulianum, c.5³³⁹.

Scotus autem citatus existimat partem materialem originalis peccati non esse appetitum sensitivum sed voluntatem ut est ad vitia propensa.

³³⁵ ArchTeolGran, 63 (2000) 247.

³³⁶ TOMÁS AQ., 3 p., q.27, a.3: ed. leon.11, 292.

³³⁷ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 3, d.3, q.3, n.13: Amberes 1566, f.219a.

³³⁸ AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.14, c.16: CCL 438,414-419; PL 41,403-408.

³³⁹ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, 1.6, c.5: París 1555, tomo 7, fol.241 EFG.

Nihilominus sit 3^a CONCLUSIO: *congruentius est nomine concupiscentiae quae materialis pars est originalis peccati accipere utramque potentiam, scilicet voluntatem et appetitum sensitivum ut ad vitia propendet.*

PROBATUR quoniam ut in utraque potentia erat originalis iustitia ita utraque subiectum est privationis iustitiae et utraque sua inordinatione ostendit turpitudinem et malitiam originalis peccati. Ita accipiunt Alexander supra, D. Thomas, 1^a 2^{ae}, q.82, a.2 ad 3, et ex professo probat D. Bonaventura, 2, d.32, a.2, q.1³⁴⁰, ubi Ricardus, a.2, q.2³⁴¹, Gabriel, 2, d.3[0], q.2, a.2 versus finem³⁴², ubi Capraeolus, q.unica, a.3 ad 1 et 2 contra 3^{am} conclusionem³⁴³; Conradus, q.82, a.3 ad 3⁴⁴; Ferrariensis, 4 Contra Gentiles, c.52, § ultimo³⁴⁵; Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tract.3, c.3, p.1³⁴⁶; Ruardus, a.2 contra Lutherum prope finem, propositione 5 et 6 de concupiscentia³⁴⁷.

Si autem petas quae potentia ex his praestantior sit, D. Thomas, q.82, a.3 ad 3, existimare videtur in ratione concupiscentiae quae est materialis pars originalis peccati praestantior esse appetitum sensitivum. Verum ibi non comparat appetitum sensitivum cum voluntate sed cum intellectu, de quo in quaestione sequenti; et quidem licet appetitus sensitivus eo praestet quod prior et vehementior sit ut voluntatem ad malum incitet, sed in ratione imputabilis et turpis praestat voluntas, quapropter absolute dicendum est concupiscentiam voluntatis

³⁴⁰ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.766.

³⁴¹ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, dist.32, a.2, q.2: Brixiae 1591, t.2, p.399s.

³⁴² GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.2, q.2: Tubinga 1975, II, p.571.

³⁴³ J. CAPREOLUS, l.2, dist.30, q.1, a.3, ad 1 et 2 arg. contra 3^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.342ss.

³⁴⁴ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.82, a.3 ad 3: Venecia 1589, p.650b.

³⁴⁵ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. leon. t.15, p.170.

³⁴⁶ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, Tract.3, l.1, tract.3, c.3, parte 1: Lovaina 1566, fol.123v.

³⁴⁷ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.87.

proprius et proximius esse materiam originalis peccati, ut recte Alexander citatus.

Quaeris praeterea utrum pars materialis includat formaliter et in recto privationem iustitiae originalis: RESPONDEO et sit

CONCLUSIO 4: *concupiscentia quando ad voluntatem refertur ut minus improprie sit pars materialis non debet includere formaliter et in recto privationem iustitiae originalis*, quoniam illa privatio iustitiae quae voluntati inest si non clauditur in ratione formali originalis peccati valde proxime accedit ad illam; quare ut voluntatis concupiscentia accipiatur ut pars mere materialis peccati originalis debet afferre ordinem rationis ad privationem iustitiae tanquam ad causam per accidens unde voluntati provenit ruere in vitia praecipitem. Si vero concupiscentia referatur ad solum appetitum sensitivum potest in recto et formaliter includere privationem originalis iustitiae [f.454v] et tunc concupiscentia erit non solum pars materialis sed etiam effectus peccati originalis eo modo quem explicuimus dubio 7, atque in hoc sensu procedit D. Thomas 1^a 2^{ae}, q.82, a.3 corpore, et Caietanus ibi, dub.2³⁴⁸. Verum congruentius est non includere formaliter et in recto privationem sed tantum potentiam voluntatis sive appetitus sensitivi, quoniam ut hae potentiae sunt subiectum originalis iustitiae ita etiam sunt materia et subiectum recipiens privationem iustitiae originalis. Ita loquitur Alexander, Bonaventura et Ricardus citati et D. Thomas, q.82, a.3 ad 1 et 2.

Insuper dubitabis utrum nomine concupiscentiae quae est materialis pars originalis peccati intelligantur non solum praedictae potentiae sed etiam illarum actus. Ruardus in a.2 contra Lutherum prope finem propositione 7³⁴⁹, existimat intelligi non actum vel actualem passionem sed potentiam inordinate appetendi, quod ostendit Augustinus, 6 in Iulianum, c.7 et 8, et libro 4, c.4³⁵⁰; idem sentit Magister, 2; d.30, § *Nunc*

³⁴⁸ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.82, a.3, secundum dubium: *Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani*, ed. leon. t.7, p.101.

³⁴⁹ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.87.

³⁵⁰ AGUSTIN, *Contra Iulianum libri sex*, 1.6, c.7: Paris 1555, tomo 7, fol.241 DE;

superest et sequenti³⁵¹; D. Thomas, 3 p., q.27, a.3³⁵², et De malo, q.4, a.2 ad 4³⁵³. In oppositum quem sequitur Capraeolus 2, d.30, q.unica, a.3 ad 1 contra 3^{am} conclusionem³⁵⁴, et Ferrariensis supra.

Bellarmino, 5 De amissione gratiae, c.15, § *Rursus*³⁵⁵, ait nomine concupiscentiae aliquando significari actum. Probat ex Augustino 6 in Iulianum, c.8³⁵⁶, ubi occasionem dedit huic sententiae, sed non sufficienter si bene inspiciatur. Magis videtur huic sententiae favere D. Thomas, q.82, a.3, in 1^o argumento et eius solutione, sed clarius Henricus, quodlibeto 6, q.32 prope finem³⁵⁷ dicens motus primo primos concupiscentiae in non baptizatis esse peccatum originale.

Nihilominus sit 5^a CONCLUSIO: *nomine concupiscentiae intelligitur potentia cum ordine ad actus malos, explicite abstrahendo ab ordine ad actus bonos prout boni sunt.*

PROBATUR 1^o quoniam secluso hoc ordine determinato ad actus malos non accipietur concupiscentia in malam partem.

2^o quoniam hic ordo peculiari ratione convenit potentiae propter negationem iustitiae ratione cuius intelligitur habere potestatem ad malum, quam antea non habebat, verum non addita nova realitate sed sublato impedimento mali. Actus autem inordinati quamvis aliquando appellentur concupiscentiae non accipiuntur ut pars materialis originalis peccati.

Ex dictis constat falsam esse opinionem Gregorii 2, d.30, q.2, a.2³⁵⁸, dicentis concupiscentiam circa venerea esse peccatum

fol.224.

³⁵¹ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, l.2, dist.30, c.8: Quaracchi, 1916, -1, p.464.

³⁵² TOMÁS AQ., 3 p., Q.27, a.3: ed. leon. 292s.

³⁵³ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 4: ed. leon. 23,112a.

³⁵⁴ J. CAPREOLUS, l.2, dist.30, q.1, a.3, ad 1 contra 3^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.342.

³⁵⁵ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.15: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.440.

³⁵⁶ AGUSTÍN, *Contra Iulianum l. sex*, l.6, c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.243 M.

³⁵⁷ ENRIQUE DE GANTE, *Quodlibeta*, 6, q.32: Lovaina 1961, fol.CCLIIv.

³⁵⁸ GREGORIUS ARIMINENSIS, *super secundo Sententiarum*, dist.30, art.2: Venecia 1522, fol.112.

originale, quod probat auctoritate Augustini, qui praesertim in 6 contra Iulianum, c.7, ita sentire videtur. Probat etiam rationibus quibus abunde satisfacit Ruardus in a.2 Contra Lutherum, prope finem, propositione 5 de concupiscentia³⁵⁹ et Driedo, 1, de gratia [f.455] et libero arbitrio, trac.3, c.3, p.1 corpore³⁶⁰.

Nunc vero ex dictis satis constat concupiscentiam quae est pars materialis originalis peccati complecti voluntatem et appetitum sensitivum quoad omnes motus inordinatos circa quaecumque objecta, de quo dicemus iterum ad 2^{um}.

Augustinus autem contra Pelagianos plerumque mentionem fecit solius concupiscentiae circa venerea quoniam, ut notat 14 de Civitate, c.18 et 19 et 20³⁶¹, et libro 3 et 4 Contra Iulianum, nulla alia passio movet exteriora membra contra hominis voluntatem, nulla tam vehemens est, quapropter illa evidentius ostendit necessitatem iustitiae originalis; qua de causa Hugo de Sancto Victore, 1 de Sacramentis, p.8, c.13³⁶², asserit vim generativam per originale peccatum corruptam esse magis quam alias potentias, quam sententiam ab scholasticis communiter receptam, explicabimus sectione 2, dubio 8.

His praemissis venio ad praecipuam quaestionis difficultatem,

Utrum concupiscentia sit proprie materialis pars originalis peccati et quomodo, et utrum sit affirmandum concupiscentiam esse peccatum originale

Zumel, q.82, a.3, disputatione 1, dicto 3 et 4³⁶³ negativam partem defendit in quem posset reprehensionem Soti convertere Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1 versus finem³⁶⁴, quo-

³⁵⁹ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.87.

³⁶⁰ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, l.1, tract.3, c.3, parte 1c: Lovaina 1566, fol.125.

³⁶¹ AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, l.14, c.18,19,20: CCL 48,440-443; PL 41,426-428.

³⁶² HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, l.1, parte 8, c.13: PL 176 317.

³⁶³ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.570.

³⁶⁴ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, tomus secundus, disp.6, q.12, puncto 1, § 13: Lyon 1603, col.666.

niam Soto in 1^o De natura et gratia, c.9, col.3³⁶⁵, dixit non ita proprie concupiscentiam appellari peccatum originale, quod nulla reprehensione dignum est. Zumelis argumenta praecipua adiuncta sunt in quaestionis exordio.

Sit ergo 6_a CONCLUSIO: *absolute dici potest concupiscentiam esse originale peccatum, et non erit impropria locutio.*

PROBATUR quoniam ita loquuntur Augustinus, Anselmus, Hugo, Magister, D. Thomas, D. Bonaventura, Alexander et alii scholastici citati ante 1 conclusionem et in conclusione 2. Sed expressius Driedo, 1_o De gratia et libero arbitrio, tract.3, c.1, parte 9, sententia 3³⁶⁶, asserit conformius loqui ad doctrinam apostolicam Augustinum dicentem concupiscentiam esse peccatum originale atque idem doctor in re vix dissidet a nostra sententia de originali peccato, ut constat ex propositione 9 in 1_a sententia.

Ratione PROBATUR sententia quia non est impropria propositio qua nomen concretum accidentale praedicatur de suo subiecto seu materiali parte; proprie enim dicimus corpus est album, oculus est caecus, sed peccatum originale est nomen concretum et illius subiectum est concupiscentia. [f.455v]

Sed quomodo concupiscentia sit subiectum et pars materialis, D. Thomas, De malo, 4, a.2 corpore, fine³⁶⁷, D. Bonaventura et Ricardus citati in conclusione 2, explicant duobus exemplis: 1^{um} est actus positivus peccati qui quoniam est inclinatio actualis in obiectum ideo deberet habere rectitudinem, quapropter est subiectum capax privationis rectitudinis debitae, atque simili modo concupiscentia quoniam est habitualis inclinatio in obiectum deberet habere rectitudinem, et propterea est subiectum capax privationis. 2^{um} exemplum est morbus non omnino auferentem vim motivam sed debilem et claudam relinquens. Ita peccatum originale receptum in concupiscentia non prorsus adimit virtutem potentiae sed infirmam relinquit et proclivem ad malum.

Nihilominus sit CONCLUSIO 7: *concupiscentia est proprie*

³⁶⁵ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III, l.1, c.9*: Salamanca 1554, f.30.

³⁶⁶ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio, l.1, tract.3, c.1, parte 9, sent.3*: Lovaina 1566, fol.119.

³⁶⁷ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo, q.4, a.2 c*: ed. leon. 23,111.

subiectum et materia peccati originalis.

Ita Sotus, 1 De natura et gratia, c.9³⁶⁸; Zumel, q.82, a.3. disp.1, dicto 3 et 4³⁶⁹, et Valentia citatus.

PROBATUR 1^o comparando originale peccatum cum actuali cuius privatio immediate recipitur in entitate reali actus qui deberet habere rectitudinem quam non habet; sed privatio originalis iustitiae non recipitur immediate nisi in essentia animae, ut colligitur ex dictis in dubio 7 et 8 et dicitur sectione 2, dubio 7; at vero concupiscentia complectitur appetitum rationalem et sensitivum.

2^o PROBATUR quoniam entitas actus et illius deformitas seu privatio inseparabiles sunt, ita ut nulla existat sine altera; at vero concupiscentia manet deterso originali peccato per baptismum, et foret etiam in puris naturalibus.

8^a CONCLUSIO: *concupiscentia est peccati originalis materia in qua, id est subiectum et materia circa quam, et obiectum.*

Sed utrumque quodammodo explicatur quoniam essentia hominis potest dici concupiscentia radicaliter in quantum est radix potentiarum inordinate appetentium et essentia hominis ut sic est subiectum originalis peccati quoniam ut sic maxime indigebat originali iustitia in cuius indigentiae remedium tenebatur iustitiam servare. Alio item modo erit subiectum concupiscentia proprie accepta pro hominis potentiis quo- [f.456] -niam illae recipiunt in se privationem charitatis et aliorum habituum, quae privatio immediate consequitur ex originali peccato. Supra dubio 7 et 8. At vero concupiscentia est materia circa quam et obiectum in quantum virtualiter et indirecte volita est in originali peccato et aliunde habet in se turpitudinem et malitiam, et hic modus materiae et obiectum non parum similis est illi quo actus exterior sive directe, sive indirecte volitus, materia est interioris peccati ut morosa delectatio sensuum materia est liberi consensus. Vide q.74, a.3, dubio 2 et 4³⁷⁰. PETIS denique

³⁶⁸ D. SOTO, OP, *De natura et Gratia, libri III, l.1, c.9*: Salamanca 1554, f.30.

³⁶⁹ FRANCISCO ZUMEL, *In primam secundae*: Salamanca 1594, p.570.

³⁷⁰ *ArchTeolGran*, 59 (1996) 195, 210.

Utrum concupiscentia ita sit materia originalis peccati ut efficiat unum per se cum privatione iustitiae originalis.

D. Thomas, De malo, q.4, a.2 ad 8³⁷¹, affirmare videtur dum ait concupiscentiam esse peccatum originale propter carentiam originalis iustitiae, non ut propter accidens, sicut corpus album est propter albedinem, sed ut propter formale principium, sicut corpus est vivum propter animam; quod repetit Capraeolus, 2, d.30, q.unica, a.3 ad 5 contra 3^{am} conclusionem³⁷², atque idem videtur supponere Ferrariensis, 4 Contra Gentiles, c.52, § ultimo³⁷³. Hanc sententiam acriter impugnat Zumel citatus cuius argumanta facile solvuntur ex superius dictis, dummodo opinionem D. Thomae intelligas ut res subiecta postulat, scilicet ut ex concupiscentia et privatione originalis iustitiae non fiat unum physice ut homo ex materia et forma sed unum moraliter in esse peccati, in quo oportet includi quidquid turpitudinis ab ea transgressione volitum est sive directe sive indirecte, et hoc genus unitatis aliud est ab unitate accidentali nam haec unitas in genere entis moralis est essentialis.

OBICI potest Anselmus, De concordia gratiae et liberi arbitrii, c. *Restat*, col.8³⁷⁴, dicens concupiscentiam non esse per se originale peccatum sed ratione iniustitiae seu privationis iustitiae originalis. — RESPONDEO: Anselmus recte ait concupiscentiam non esse peccatum per se, id est, ratione sui, non tamen negat constituere unum, unum suo modo per se, in privatione iustitiae originalis.

NOTANDUM tamen est hoc tempore clariori opus esse explicatione huius [f.456v] modi loquendi, quoniam Illiricus suam haeresim, quod peccatum originale sit forma substantialis hominis, probat inter alia argumenta quoniam concupiscentia quae secundum Theologos est pars materialis originalis peccati est etiam

³⁷¹ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 8: ed. leon. 23,112b.

³⁷² J. CAPREOLUS, 1.2, dist.30, q.1, a.3, ad 5 contra 3^{am} conclus.: Turín 1903, t.4, p.344.

³⁷³ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae*, 4, c.52: Opera Omnia Sti. Thomae, ed. leon. t.15, p.170.

³⁷⁴ S. ANSELMO DE CANTORBERI, *Dialogus de libero arbitrio*, c. *Restat* [XIV]: PL 158, 506.

inferior pars hominis. Ignorabat haereticus aut se ignorare simulabat potentias hominis appellari partes illius non quod sint substantiales partes, et praeterea partes originalis peccati non componere physice sed moraliter. Vide Bellarmino, 5 De amissione gratiae, c.3, fine³⁷⁵.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO ad 1:

RESPONDEO 1° ex D. Thoma 82, a.3 ad 1, concupiscentia rationi conformis est absolute naturalis homini; sed concupiscentia rationi contraria est naturalis homini secundum quid et in quantum est concupiscentia boni secundum quid et in quantum necessario regnabit in homine si solis naturalibus viribus relinquatur. Verum eadem concupiscentia rationi contraria, simpliciter est contra naturam hominis: supra, q.71, a.2³⁷⁶; et haec tantum concupiscentia est peccatum originale.

RESPONDEO 2°: concupiscentia non est originale peccatum essentialiter sed accidentaliter, ratione privationis iustitiae originalis cuius subiectum et obiectum est, et hoc modo illud quod ex principiis naturae necessario sequitur potest esse originale peccatum.

Ad 2 RESPONDET D. Thomas concedendo consequentiam, imo concupiscentia complectitur passiones hominis, appetitus sensitivi et omnes actus inordinatos voluntatis sive ad irascibilem sive ad concupiscibilem pertineat, quibus omnibus nomen dedit concupiscentiae quoniam prima est omnium passionum reliquas omnes virtute continens ut omnium motrix et vehementior omnibus.

Ad 3 RESPONDEO: animae puerorum qui in peccato originali sine ullo personali moriuntur retinent quantum ad voluntatem concupiscentiam quod ex se est inclinata ad malum et nulla qualitate inhaerente sibi sancta sed tantum extrinseca Dei providentia impedita ne in actum prodeat, et haec concupiscentia sufficit ut sit et dicatur originale peccatum quandiu manet in ea privatio originalis iustitiae debitae, quo sensu Ricardus, 2, d.31,

³⁷⁵ ROBERTO BELLARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.3: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.398.

³⁷⁶ *ArchTeolGran* 49 (1986) 264.

a.2, q.2 corpore³⁷⁷, concedit cocupiscentiam in anima separata. Deinde concupiscentia in eisdem hominibus post resurrectionem corporum erit integra quoniam non solum voluntate sed etiam appetitu sensitivo constabit; sed ante resu- [f.457] -rrectionem deficit altera pars concupiscentiae quae est appetitus sensitivus, verum non propterea deficit aliquid requisitum ad essentiam sed tantum ad complementum et quasi ad integritatem originalis peccati, cum maneat concupiscentia voluntatis in qua primario consistit originale peccatum. Quare de concupiscentia appetitus sensitivi intelligendi sunt qui asserunt concupiscentiam non manere in anima separata, ut D. Bonaventura, 2, d.32, a.2, q.1 fine³⁷⁸, Roffensis contra 3 a. Lutheri.

Quod si OBICIAS Magistrum d.32³⁷⁹, dicentem concupiscentiam provenire animae ex unione cum carne, ergo in anima separata non remanet. RESPONDEO negando consequentiam, quoniam eo sensu concupiscentia provenit ex unione animae cum carne, quo provenit originale peccatum, scilicet quatenus ex carne provenit hominem esse Adami filium. Infra, sect.2, dubio 3, quod non obstat quominus in anima separata originale peccatum et concupiscentia remaneat, quoniam anima est hominis ex Adamo nati.

Ad 4 RESPONDEO negando minorem, et ad eius probationem respondeo: propterea in nobis concupiscentia non est pars materialis nostri peccati personalis quoniam simul cum gratia quam per mortale peccatum amittimus existebat antea concupiscentia, quare non est effectus aut actus exterior coniunctus cum peccato personali nostro nec provenit ex eo privatio doni sanants concupiscentiam sed respectu primi peccati personalis concupiscentia fuit quasi actus exterior aut effectus indirecte volitus quoniam primo peccato amisit Adamus donum quo frenanda erat concupiscentia ac proinde primum peccatum habituale Adami respiciebat ut materiam in qua et circa quam suam concupiscentiam non minus quam nostrum originale respicit nostram. Ita

³⁷⁷ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, dist.31, a.2, q.2: Brixiae 1591, t.2, p.392.

³⁷⁸ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.766.

³⁷⁹ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, l.2, dist.32: Quaracchi, 1916, 1, p.476.

Conradus, 1^a 2^{ae} q.83, a.1 ad 2³⁸⁰. Vide Bonaventuram, 2, d.32, a.2, q.2 ad 2³⁸¹.

Ad 5 RESPONDEO: post baptismum manet malum concupiscentiae, non ut est culpa sed solum ut ad malum incitat, de quo fuse in dubio 19.

Ad 6 RESPONDEO: in puris naturalibus esset concupiscentia omnino seperata [f.457v] a privatione iustitiae, et haec non est originale peccatum: supra, conclusione 1.

Ad 7 RESPONDEO distinguendo antecedens, nam Deus auctor est concupiscentiae quatenus bona est, non quatenus est peccatum nec quatenus ad malum inclinatur, nam sub his rationibus concupiscentia est opus Adami et diaboli.

Quod, ut explicetur notandum est 1^o, secundum frequentiore phrasim Sacrae Scripturae et Patrum dicendum esse absolute concupiscentiam non esse opus Dei sed diaboli aut mundi aut hominum peccantium. Sic enim Iacobus ait *quidquid est in mundo aut est concupiscentia* etc [1Jn 2 15], ubi mundum non solum subiectum sed etiam auctorem concupiscentiae constituit, et Ioannes ait: *mundus transit et concupiscentia eius* [1Jn 2 17]; et prava desideria quae ad concupiscentiam pertinent diabolo semper tribuuntur ut auctori. Supra, q.80. Sic Augustinus, 6 contra Iulianum, c.8³⁸², initio, concupiscentiam appellat vulnus inflictum a diabolo et fructicem illius, et Glossa ad Romanos 6, veterem hominem crucifixum dicit esse fomitem qui ex nobis est non a Deo, et propterea a Deo crucifigitur. De hoc fusius Driedo, 1 de Gratia et libero arbitrio, trac.3, c.3, p.1³⁸³, et ita loquuntur communiter scholastici. Mentitur enim, ut solet, Melancthon dicens apud scholasticos concupiscentiam non esse defectum sed rem bonam, id est, appetitiones ut sunt a Deo conditae. Vide

³⁸⁰ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.83, a.1, ad 2: Venecia 1589, p.655.

³⁸¹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.2, q.2 ad 2: Quaracchi, t.2 (1885), p.768.

³⁸² AGUSTIN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.243 I.

³⁸³ JUAN DRIEDO, *De gratia et libero arbitrio*, l.1, tract.3, c.3, parte 1: Lovaina 1566, fol.124s.

Bellarmino, 5 De amissione Gratiae, c.6³⁸⁴.

2º, notat Augustinus, 5 In Iulianum, c.7³⁸⁵, eandem rem in Sacra Scriptura dicitur a Deo esse et non esse a Deo sub diversis rationibus, ut *vita et mors a Domino Deo*, Eccli 11 [14], et Sapientiae, 1 [13], *Deus mortem non fecit*.

3º. Unde Augustinus infert concupiscentiam et membrorum legem a Diabolo et a Deo esse atque non esse sine ulla contradictione, caeterum cum *discrimine triplici*: 1^{um}, circa intentionem; 2^{um}, circa efficientiam; 3^{um}, circa formalitatem rei productae.

1^{um} *discrimen* intentionis constat quoniam Diabolus per concupiscentiam intendit peccata ut contumeliosa Deo et nociva homini; sed Deus intendit hominem pugna excercere et originalem culpam punire.

2^{um}, quantum ad efficientiam: nam Deus vere producit potentias per se inclinatas ad bonum rationis et bonum sensibile et vere aufert originalem iustitiam substrahendo [f.458] suum concursum. Itaque ad concupiscentiam duobus modis Deus concurrat, positivo influxu ad potentias et negatione influxus ad carentiam iustitiae, quibus modis nihil potuit efficere Daemon sed tantum induxit ad peccatum eo fine inter alios ut praeceps et effrenata insurgeret concupiscentia.

Ex quibus sequitur 3^{um} *discrimen*, scilicet concupiscentiam esse a Deo ut est secundum suam substantiam bona et ad bonum, et praeterea ut caret originali iustitia in poenam; sed a Diabolo et ab homine producitur concupiscentia ut est peccatum et ad peccatum inclinatur, ut sentiunt communiter Doctores citandi sect.5, dubio 1 et 2. Vide quae de potentia peccandi diximus in q.75, a.2, dubio 1³⁸⁶.

Ex his facile constat sub qua ratione debemus odisse et fugere concupiscentiam, scilicet sub ea ratione qua non est a Deo sed a Diabolo.

³⁸⁴ ROBERTO BELARMINO, SI, *XIV Controversia Generalis, De amissione gratiae et statu peccati*, liber V, c.6: ed. Vivès, tomo 5, Paris 1873, p.403.

³⁸⁵ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, l.5, c.7: Paris 1555, tomo 7, fol.233 LM 234.

³⁸⁶ *ArchTeolGran* 61 (1998) 204.

Ad 8^{um} RESPONDEO negando consequentiam quoniam concupiscentia non est effectus peccati originalis nisi per accidens, ut a removente prohibens quatenus originali peccato formaliter extrusa est iustitia originalis qua cohibendi erant inordinati motus, quod luculenter explicat Anselmus, De conceptu virginali, c.5³⁸⁷, exemplo ferarum, equorum aut navium, quae rupisse vincula, frena et gubernacula causa est carnificinae, praecipitii, naufragii; quod idem colligi potest ex D. Dionysio, c.3 de Ecclesiastica hierarchia, longe post medium³⁸⁸, et tradit D. Thomas infra, q.85, a.5 corpore³⁸⁹, et q.4 De malo, a.2 ad 4³⁹⁰. In oppositum D. Bonaventura, 2, d.52, q.2, corpore³⁹¹.

Igitur effectus per accidens originalis peccati idem etiam est materia circa quam versatur originale, ut circa malum indirecte volitum et praeterea est materia in qua remanet privatio doni prohibentis mala. Quod autem concupiscentia poena sit nihil obstat quominus sub alia ratione sit culpa, ut de privatione iustitiae dictum est dubio 3, ad 3 et 4³⁹².

Ad 9^{um}, Augustinus in Ps. 103³⁹³, RESPONDET his verbis *quod equo est natura, homini est culpa*, et rationem reddit quia equus non tenetur suos motus ratione gubernare, ut sit rationis expers, homo vero tenetur cum habeat superiorem appetitum quo sensum ad altiorem finem dirigat. Vide Driedo, 5 De natura et gratia, tract.3, cap.3, p.1, mem.2, et Ruardum, a.2 contra Lutherum, propositione 3 de concupiscentia³⁹⁴.

³⁸⁷ S. ANSELMO, *Liber de conceptu virginali et originali peccato*, c.5: PL 158, 439.

³⁸⁸ PSDIONYSIO AREOPAGITA, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PL 3,439.

³⁸⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.85, a.5 c: ed. leon. 6,115.

³⁹⁰ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 4: ed. leon. 23,112.

³⁹¹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.52, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.963.

³⁹² *ArchTeolGran* 56 (1993) 236.

³⁹³ AGUSTÍN, *Enarrationes in Psalmos*, In Ps CIII: PL 37 1379; CCL 40 1522.

³⁹⁴ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.86.

Dubitatur 17
Utrum ignorantia sit originale peccatum
Ubi de aliis defectibus

[f.458v]

Communis sententia Doctorum cum concupiscentia ignorantiam coniungit ut pariter sit originale peccatum.

Ita D. Augustinus, 6 In Iulianum, c.5 versus finem³⁹⁵; Anselmus, De concordia gratiae et liberi arbitrii, in cap. *Restat*, col.7³⁹⁶, ubi ait ad peccatum imputatur impotentia quam natura humana peccando sibi fecit nec solum impotentia habendi iustitiam sed etiam impotentia illam intelligendi; Hugo de Sto. Victore, tomo 3 De sacramentis fidei, p.7, c.28 et 32 et 34³⁹⁷; Albertus, 2 p., q.207, num.3 fine³⁹⁸; Alexander, 2 p., q.122, mem.2, a.3, § 1³⁹⁹; D. Thomas, De malo, q.4, a.2 ad 7⁴⁰⁰, et hic, q.82, a.3 fine; Ruardus, a.2 Contra Lutherum, prope finem, propositione 6 de concupiscentia⁴⁰¹.

Ad cuius explicationem sit 1^a CONCLUSIO: *ignorantia praeciso ordine ad privationem iustitiae originalis et transgressionem primi parentis nullo modo est originale peccatum.*

PROBATUR —1^o quoniam eadem ignorantia esset in puris naturalibus. —2^o quoniam in pueris post baptismum manet.

—3^o quoniam ignorantia invincibilis nullo modo est culpa, est autem prorsus invincibilis secluso omni respectu ad voluntariam transgressionem, supra, q.76, a.2, dub.1 et 2⁴⁰².

—4^o PROBATUR quoniam idem de concupiscentia dictum fuit praecedenti dubio. conclusione 1.

³⁹⁵ AGUSTÍN, *Contra Iulianum libri sex*, 1,6,c.6: París 1555, tomo 7,fol.233 LM 2421.

³⁹⁶ ANSELMO CANTUARIENSE, *Concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*, c.7: PL 158 517s.

³⁹⁷ HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, 1,1, parte 7, c.28, 32, 34: PL 176 299,302.

³⁹⁸ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologiae*, 2, trct.17, q.107, mem.3: París 1895, t.33, p.291.

³⁹⁹ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologiae*, 2^a pars, q.105, mem.2, a.1: Venecia 1575, fol.269v.

⁴⁰⁰ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 7: ed. leon. 23,112b.

⁴⁰¹ RUARDUS TAPPER, *art.2 contra Lutherum*: ed.1565, p.87.

⁴⁰² *ArchTeolGran*, 8 (1945) 154.

2^a CONCLUSIO. *Ignorantia ut adiuncta privationi iustitiae originalis et inoboedientiae moraliter duranti, ut sic est materialis pars originalis peccati.* Hanc conclusionem intendit Augustinus, Anselmus et Hugo, et illam clarius explicant caeteri Doctores citati.

PROBATUR quoniam si ignorantiae nomine accipias intellectum ut caret debita cognitione et facile discurrendo errat, ut sic erit subiectum cuiusdam minus praecipuae partis originalis peccati, quae pars est privatio fidei et cuiusque cognitionis quam originalis iustitia transmittēbat ad posteros. Praeterea utcumque sumatur ignorantia est materia circa quam originalis peccati seu obiectum et quasi actus exterior indirecte volitus et causatus eodem modo quo est obiectum et materia concupiscentia in praecedenti dubio conclusione 8. Unde Beda, Lucae 10⁴⁰³, receptus ab omnibus scholasticis quatuor vulnera originalis peccati numerat, scilicet, *infirmi-tatem, ignorantiam, malitiam et concupiscentiam*, de quibus vide D. Thoma, q.85, a.3⁴⁰⁴, et q.4 De malo, a.2 ad 7⁴⁰⁵.

3^a CONCLUSIO: *ad originale peccatum ignorantia pertinet minus proprie et minus proxime quam concupiscentia.*

RATIO est quoniam virtus appetitiva ad quam concupiscentia pertinet est quae hominem ordinat vel deordinat a Deo, et respicit aut retinet honestum, cuius denique est tota imputabilitas peccati. Supra, q.74, a.1 et 2⁴⁰⁶; at vero ignorantia quamvis aliquando sit ex se turpis praecisa voluntate, numquam tamen habet rationem culpae [f.459] et imputabilis nisi ratione imputabilis. Supra, q.76, a.1, dubio 1 et 2⁴⁰⁷. Quare concupiscentia detestabilior est quam ignorantia.

CONFIRMATUR 1^o, quoniam ignorantia quae culpa est nascitur ex inordinatis affectibus voluntatis et appetitus sensitivi obnubilantis rationem, et ex negligentia qua voluntas non vult movere intellectum ad voluntatem inquirendam.

⁴⁰³ Lo toma de S. BONAVENTURA, (*Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.30, a.2, q.1, *Sed contra*: Quaracchi, t.2 (1885), p.721s) como lo dice más adelante.

⁴⁰⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2., q.85, a.3: ed. leon. 6,112s.

⁴⁰⁵ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 7: ed. leon. 23,112b.

⁴⁰⁶ *ArchTeolGran*, 59 (1996) 171-194.

⁴⁰⁷ *ArchTeolGran*, 8 (1945) 132-153.

CONFIRMATUR 2^o quoniam ideo tenebamur retinere cognitionem quam afferebat originalis iustitia quia tenebamur Deum amare super omnia, qui amor imperat honorem exhibendum actu fidei atque aliis cognitionibus, quae rationes colliguntur ex Augustino, Bonaventura, Alexandro, D. Thoma et Ricardo initio citatis.

Si autem concupiscentia accipias pro solo appetito sensitivo, illa quidem quodammodo minus mala est quoniam non est tan intrinsece turpis ut error intellectus, verumtamen ideo deterior est quoniam peccata ex passione graviora sunt quam peccata ex ignorantia caeteris paribus, quod ad hoc propositum notat Augustinus initio citatus et ex Isidoro, Gregorio et aliis dictum est q.77, a.6, n^o.4⁴⁰⁸.

OBIICIES 1^o: originalis peccati propria poena est privatio visionis Dei quae ad intellectum pertinet; ergo culpa originalis praecipue pertinet ad intellectum. PROBATUR consequentia, quoniam poena respondet culpae. RESPONDEO: eadem ratione probaretur odium Dei esse in intellectu quoniam praecipua poena illi debita est privatio visionis Dei, quare universaliter dicendum est poenam non quoad omnia correspondere culpae, magis autem respondet oppositae virtutis; quare sicut praemium retentae iustitiae esset visio Dei ita poena amissae iustitiae est privatio visionis.

Sed URGEBIS: bonorum maximum est in intellectu visio Dei; ergo malorum maximum, scilicet peccatum, erit in intellectu. RESPONDEO negando consequentiam, quoniam malum, cum sit a nobis et non a Deo a quo separat existit praecipue in potentia libere operante quae propter libertatem deficere potest ab inclinatione quam a Deo accepit; sed bonum cum sit praecipue a Deo et coniungat cum Deo non indiget potentia formaliter libera. Vide quae diximus in q.88, a.1, dubio 6 ad 7 et 9⁴⁰⁹.

OBIICIES 2^o: quoniam si ignorantia est peccatum originale eadem ratione reliqui omnes defectus naturae humanae essent originale peccatum, ut difficultas boni, proclivitas ad malum seu

⁴⁰⁸ ArchTeolGran 62 (1998) 242.

⁴⁰⁹ ArchTeolGran 53 (1990) pg.205-232, 239-244.

infirmitas et malitia aut concupiscendi necessitas, quae omnia esse originalem culpam docet Hugo, 1^o De Sacramentis, p.7, c.20 et sequenti praesertim c.23⁴¹⁰. [f.459v] RESPONDEO hos defectus includi in concupiscentia, et esse peccatum originale eo modo quo concupiscentia est peccatum originale, imo et ignorantia, includitur in concupiscentia latius accepta; unde Beda loco citato apud Bonaventuram 2, d.30, a.2, q.1, in *Sed contra*⁴¹¹ ait quatuor vulnera inflicta esse per peccatum: scilicet *ignorantiam, infirmitatem et malitiam et quartum ex his conflata, concupiscentia*.

3^o OBICIES: quoniam morbi atque mors non possunt reduci ad concupiscentiam et tamen sunt defectus procedentes ex privatione iustitiae originalis; ergo ultra concupiscentiam et ignorantiam alii defectus erunt qui sint pars materialis originalis peccati. RESPONDEO: aliquo modo sunt pars materialis originalis peccati mors atque morbi quoniam indirecte voliti sunt in originali peccato; unde D. Anselmus, De concordia gratiae et liberi arbitrii, capite *Restat*, col. 8⁴¹², ait: *possumus rationabiliter asserere quia quod a prima conditionis humanae dignitate, fortitudine atque pulchritudine minorata et corrupta est illi ad culpam imputatur: per hoc namque minoravit quantum in ipsa fuit honorem et laudem Deo, quoniam secundum dignitatem operis praedicatur sapientia opificis*. Verumtamen mortalitas et corruptibilitas non sunt nec appellandae sunt originale peccatum, et ratio est quoniam ex se nullam habent turpitudinem et malitiam. CONFIRMATUR a contrario, quoniam immortalitas et impassibilitas nec totaliter nec ex parte constituebat hominem iustum cum tamen donum sanans concupiscentiam valde conferret ad perfectionem iustitiae quatenus iustitia est et hominem constituit iustum.

Eodem spectat doctrina D. Thomae in q.4 De malo, a.2

⁴¹⁰ HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, I.1, parte 7, c.20, 21, 23: PL 176 296s.

⁴¹¹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.30, a.2, q.1, *Sed contra*: Quaracchi, t.2 (1885), p.721s.

⁴¹² ANSELMO CANTUARIENSE, *Liber de concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*, c. de concordia gratiae et liberi arbitrii: Colonia 1573 p.201; PL 158 530A.

c⁴¹³, et 1^a 2^{ae}, q.83, a.1, corpore, ubi Conradus, conclusione 3⁴¹⁴; D. Bonaventura 2, d.31, a.1, q.2, ad argumenta⁴¹⁵; Capraeolus, 2, d.30, q.unica, a.3, ad 1 contra 3^{am} conclusionem⁴¹⁶; qui probant potentias animae vegetativae et corpus ipsum habere rationem poenae potius quam culpae originalis quoniam effectus peccati receptus in re quae est peccati incapax ut in ense vel lancea, valde improprie dicitur peccatum; at vero voluntas absolute est capax peccati et appetitus sensitivus aliquo modo est capax virtutis et peccati in quantum oboedire potest rationi. Supra, q.74, a.3, dubio 2 et sequenti⁴¹⁷. Sed potentiae animae vegetativae non subiiciuntur rationi nisi applicando activa passivis. Vide infra, sec.2, dubio 2 et 4. [f.460]

4^o, maiori iure dicendum est rebellionem bestiarum contra hominem cui antea obtemperabant non esse peccatum originale quoniam bestiae sunt peccati incapaces, ut notat D. Bonaventura, 2, d.32, a.2, q.2, fine⁴¹⁸.

⁴¹³ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 c: ed. leon. 23,111.

⁴¹⁴ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.83, a.1, concl. 3: Venecia 1589, p.653a.

⁴¹⁵ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.744.

⁴¹⁶ J. CAPREOLUS, l.2, dist.30, q.1, a.3, ad 1 contra 3^{am} conclus.: Turin 1903, t.4, p.342.

⁴¹⁷ *ArchTeolGran*, 59 (1996) 195-210.

⁴¹⁸ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.769.